



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XI. Societas Jesu domesticis quibusdam motibus ab anno MDXCI. ad
MDCVIII. agitata, illis ad majorem stabilitatem & quietem proficit.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)





LIBER XI.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XI.

Societas domesticis motibus agitata
AB ANNO MDXCI. AD MDCVIII.

I.  Ujus Tomi posterioris partes, & ordo. II. Brevis conspectus Orbis terrarum ab anno MDXCI. ad MDCXVI. III. Origo domesticarum perturbationum, quæ Societatem vexarunt præsertim ab anno MDXCI. ad MDCVIII. IV. Quibus patronis niterentur perturbatores, & quid spectarent. V. Claudius Aquaviva Institutum Societatis contra ipsorum conatus muniendum curat Apostolica Gregorii XIV. Constitutione. Hæc deteriore in partem accipitur in Hispania, ubi quidam turbare Societatem aggressi coercentur a Garcia Loaysa. VI. Alii tumultuantur apertius & audacius in Lusitania. Illorum causam Cardinalis Albertus Austrius tuetur. Hunc P. Petrus Fonseca a grædè dedocet. VII. Josephus Acosta missus ab Aquaviva in Hispaniam ad componendas ejusmodi turbas, censet cogendam Congregationem Generalem, idque Regi persuadet, & ab eo Romam idcirco mittitur. Aquaviva Philippum ab ea sententia dimovere studet operâ P. Alphonsi Sancier: sed hic tardius in Hispaniam accedit, cum Rex ea de re jam scripsisset ad Pontificem, qui Congregationem indici jubet. Idem Præpositum Generalem amandat in Longobardiam. Causa istius profectonis. Redit in Urbem ager Aquaviva. VIII. Congregatio Quinta Generalis. Quid egerit in ea P. Franciscus Toletus sacra purpura per eos dies ornatus a Clemente VIII. Perturbatores gravissimo Congregationis decreto feriuntur. IX. Illo efferati Aquavivam de Societatis gubernaculo dejicere tentant. Offertur ipsi Archiepiscopatus Neapolitanus. Insidiosum honorem deprecatur, & effugit. Jubetur in Hispaniam proficisci quasi ad tumultus domesticos præsentia auctoritate comprimendos: sed occupatus morbo Romæ remanet. X. Ultima & irrita perturbatorum spes, Congregatio Generalis Sexta. XI. Ejus præcipua decreta. XII. Turba quadam leviores composita.



 NTUENTI mihi res in Societate gestas prioribus decem annis, quibus illi Claudius Aquaviva proximè præfuit, non temerè proditum videtur, hunc divino consilio ad gubernandam difficillimis temporibus Societatem fuisse destinatum. Sed hoc longè clariùs appâret posterioribus quinque & viginti annis, quos exponere aggredimur. Tor enim, tam graves, procellæ Societatem factarunt, ut eam incolumem servare, nisi prudentissimus, & opè divina peculiari fre-

Hist. Soc. Iesu Tom. II.

A

tus,

S. I.
TOMI POSTERIORIS PARTES, ET ORDO.

tus gubernator nulla ratione potuerit. Illam Gallia edictis atrocibus notatam Lutetia exturbat, Italia urbibus Venetis ejicit; Transilvania suis finibus exterminat. Anglia non contenta carceribus & patibulis, eandem per Italiam, Belgium, & Galliam, usque in ultimas demum Americae oras, infesta persequitur. Certant cum Afris Japones & Sinae ad eam ferro, veneno, ceteraque suppliciorum immanitate perdendam. Ejus doctrinam non hostes Ecclesiae, ut antea, sed defensores, ad sanctissimum Orbis Christiani tribunal, ut impietatis & violatae caelestis Gratiae ream, vocant. Ejus denique tranquillitatem & concordiam non inimici duntaxat, sed domestici filique conturbant.

Altera tamen ex parte serenitas tempestates excipit: laeta tristibus, adversis prospera intercurreunt. Societas propagatur; augetur domiciliis, virtute, gloria. In Galliam restituitur; introducit in Cocincinam, in Cambogiam, in Canadam; & secum Religionem introducit. Ejus opera & fortunatis, Deo aspirante, laboribus haeretici ad veritatem, improbi ad bonam frugem, barbari ad Christiana sacra perducuntur. *In carceribus, in seditionibus, in plagis supra modum, in mortibus frequenter* *, elucet virtus Christi, & ejus in Societatem suam singularis benignitas comprobatur.

Prioribus secundi hujus Tomi libris adversa; posterioribus prospera, referemus: utraque summam cum fide, tam sine adulatione, quam sine odio & malignitate. Primus liber, qui Partis Quintae undecimus numerabitur, Societatem ostendet domesticis motibus graviter agitatam. Secundus, Tertius, & Quartus eandem externis concussam perturbationibus & periculis in Gallia, Italia, Anglia, & aliis nonnullis Europae partibus. Quintus auctam domiciliis, & magnis amplificatam ornatamque incrementis describet. Sequentes libri navatam ab illa publicae rei variis in calamitatibus operam: religionem ejus arumnis, labore, sanguine defensam illustratam, ac propagatam in Europa, Asia, Africa, & utraque America, exhibebunt. Postremi duo libri exponunt res gestas insigniorum aliquot hominum Societatis, qui proprium, ubi de illis fieret mentio, in superioribus libris locum non habuerint; & quorum pietas, eruditio, vita vel mors, non indigna cenferi potest, quae posteritatis memoriae commendetur.

S. II.
CONSPECTUS
ORBIS TERRARUM
AB ANNO MDXCI.
AD MDCXVI.

I.
Italia.

CETERUM, antequam ad scribendum aggrediar, indicandum videtur qualis fuerit status Orbis terrarum ab anno MDXCI. ad MDCXVI. qui Principes rerum potirentur, quomodo erga religionem, & Societatem affecti: hinc enim historiae nostrae magnum affulgebit lumen, quippe quae necessario cum historia regnorum ac provinciarum, ubi Societas degit, vinculo sit conjuncta.

In Italia Vaticanum solum obtinebat Nicolaus Sfondratus; Cardinalis S. Caeciliae vulgo dictus, adscito nomine Gregorii, ejus appellationis XIV. Ille, praeter cetera brevissimo Pontificatus spatio bene ac laudabiliter gesta (vix enim decem menses Petri sedem tenuit) laborantes catholicorum in Gallia foederatorum partes missis auxiliariis copiis tutari conatus est. Successorem accepit anno MDXCII. Hippolytum Aldobrandinum, Clementem hujus nominis VIII. (nam interjectus inter hunc, & Gregorium XIV. Innocentius IX. diebus tantum paucis ostensus Ecclesiae fuit.) Clementis Pontificatum memorabilem fecit primò Henricus IV. Galliae Rex, post abjuratam haesim Ecclesiae communioni restitutus: quo facto sapientissimus Pontifex regnum Christianissimum funesti schismatis metu liberavit. Deinde controversia de Auxiliis divinae gratiae inter Dominicanos, & Societatis Theologos orta, cujus arbiter sedere voluit, Orbe Christiano ad litis tantae decisionem arrepto. Hanc tamen nondum decisam reliquit successori suo Paulo V. Nam Leo XI. qui proximè Clementem VIII. excepit, mensem Pontificatus totum non implevit. Creatus Pontifex Paulus V. anno MDCV. vitam usque ad MDCXXI. produxit. Controversiam de Auxiliis divinae gratiae composuit, & data concertantibus domum redeundi facultate: *Addidit* (sunt ipsa decreti Pontificii verba) *se suo tempore editurum declarationem ac determinationem suam: interim vero serio admodum cavet ne quis partem alteram qualificare aut censurare presumeret*, Idem Paulus V. Ecclesiasticam libertatem a Venetis violatam anno MDCVI. arbitratus, illorum regionem interdicto subjecerat: sed anno sequente, cum eam ob rem grave bellum instare

stare Italiæ cerneret, pacem sapienter confecit. Fidelitatis quoque jusjurandum Anglis catholicis insidiosè propositum condemnavit, ac ne se quisquam illo adstringi pateretur, vetuit.

In Germania Rudolphus II. patri Maximiliano II. successit anno MDLXXVI. imperium & vitam usque ad annum MDCXII. prorogavit. Religionem contra Lutheranos, qui ejus lenitate abutebantur, tueri studuit; Imperii verò majestatem defendit contra Turcas; quorum impetus repressit feliciter, primum quidem Matthiæ, fratris sui, ductu; deinde Caroli Comitis Mansfeldii, è Belgio, ubi copiis Philippi II. præerat, acciti: postremo Philippi Emmanuelis Lotharingi, Ducis Mercorii. Diuturni tamen belli pertasus, inducias pactus est in 20. annos, cum Achmete, Mahometis III. filio; & Matthiæ Archiduci, fratri suo, Austriam, Hungariam, & Bohemiam largitus, eidem imperium moriens reliquit anno MDCXII.

2.
Germania.

Transilvaniam obtinebat anno MDLXXV. Stephanus Bathorius, qui ad Poloniae solium evocatus, illam Christophoro Bathorio fratri suo concessit. Sigismundus Bathorius, Christophori filius, patri successit anno MDLXXXI. Sibi a Turcis timens, & eorum jugum agrè ferens, vires atque arma contra eosdem cum Rudolpho junxit anno MDXCIV. Suorum deinde, qui Turcis & hæresi non obscurè favebant, odiis & factionibus agitatus, abdicavit principatum Transilvaniæ, & eum Cæsari certis conditionibus redonavit. At brevi, mutata mente, illum repetiit; iterumque deposuit, & Andreæ Bathorio Cardinali, patrueli suo, tradidit. Andreas, commissa paucis post mensibus cum Cæsarianis infelici pugna, * cæsus est. Sigismundus rursus Transilvaniam sibi arrogavit. Sed magnis cladibus per Cæsaris duces affectus, illam denique in perpetuum dimisit, obiitque Pragæ anno MDCIII. Post ejus obitum Georgius Basta, dux Cæsarianus, Transilvaniam aliquandiu Rudolphi nomine administravit. Proceres religioni catholice infensis, & amicitiam Turcarum, odio nominis Austriaci, ambientes, Stephanum Botkaium Sigismundi Bathorii propinquum, pulso Basta, Principem adsciverunt, quem etiam Turca regem dixit anno MDCV. Subrogatus ei fuit ab iisdem proceribus anno insequenti Sigismundus Rakocius, nobilis Transilvanus: qui principatum agrè admissum cum exercuisset biennio satis clementer & pacatè, illum ultro tradidit * Gabrieli Bathorio. Transilvaniam denique invasit, Bethlemus Gabor, pulso Bathorio: & varia fortuna cum Cæsare Hungarisque conflictatus, vita cessit anno MDCXXXIX.

3.
Transilvania.

* An. 1599.

* An. 1608.

Cum Stephanus Bathorius, Poloniae rex, sine liberis decessisset anno MDLXXXVI. electus a Polonis fuit Sigismundus III. Joannis, Sueciæ regis, filius, qui post mortem patris regnum Sueciæ Polonico junxit. Verum Sueci Lutheranos amplexi errores, eo abdicato Carolum Sudermaniæ Ducem, ipsius, paruum, regem dixerunt.

4.
Polonia.

Ex quo regnum Angliæ capessivit Elisabetha, inferre bellum catholice religioni non destitit, nimirum ab anno MDLVIII. ad MDCIII. quo vivendi ac faciendi finem fecit. Regni & hæreseos heredem habuit Jacobum I. Mariæ Stuartæ, optimæ reginæ ac religiosissimæ degenerem filium. Obiit ille anno MDCXXV.

5.
Anglia.

Galliam hæresis Calviniana jam inde ab anno MDXXII. invaserat. Hanc Francis I. Henricus II. & Carolus IX. Galliarum reges excindere conati erant. Ei favere cum putaretur Henricus III. Caroli IX. frater & successor, Gallorum odia in se concitavit. Illo per immane scelus interfecto *, regnum sibi jure vindicabat Henricus Navarrae rex, Principum e regia stirpe solio proximus, sed Calviniana infectus hæresi: quod dedecus ac nomen, antea nunquam in Franciæ regibus auditum, Galli ferre non poterant. Ergo inuito contra illum fœdere, tandiu obstiterunt, donec hæresim deponeret. Ea demum ejurata, & anathematis vinculo per Clementem VIII. solutus, Christianissimi regis domesticum nomen regis dotibus permultis, ac præcipuo religionis studio implevit. Quia tamen initio multa concedebat hæreticis, ut tempori ac necessitati serviret, creditus est a nonnullis hæresim ore tenus abjurasse. Quo è numero sicarius per insidias illum adortus interemit anno MDCX. Enituit Ludovici XIII. ejus filii pietas & justitia in regno administrando, quod ad annum usque MDCXLIII. felicissime gubernavit.

6.
Gallia.

* An. 1589.

7.
Hispania.

Fœderatorum in Gallia partes amplexus erat Philippus II. Hispaniæ rex, contra Henricum IV. Pax inter utrumque composita fuit Verbini, anno MDXCVIII. quo ipse Philippus moriens regnum filio reliquit Philippo III. Ambo grave bellum ac diuturnum gessere cum Belgis fœderatis, qui abjecta religione catholica, defecerant ab Hispanis; unde Batavorum Respublica coaluit. Philippus III. longinquum ac difficile bellum exorsus, pacem cum ipsis fecit. Eisdem opibus & armis juxta Elisabetha: quæ, præter alias, causa Philippo II. fuit belli Anglis identidem inferendi.

8.
Lusitania.

Idem Philippus II. post Henrici Cardinalis obitum, qui incidit in annum MDLXXX. venit in possessionem Lusitaniæ, & Albertum Archiducem Austriacum ei gubernandæ præfecit. Hanc Philippus III. & Philippus IV. obtinuerunt usque ad annum millesimum sexcentimum quadragesimum, quo Lusitani regem sibi Ducem Brigantiæ creaverunt. Japonibus Taicosama & Daifusama; Mogolibus Akebars; Sinis Xingumus, seu Van-liens; Turcis Amurathes III. Mahometes III. Achmetes I. per ea tempora imperabant.

Quomodo erga Religionem, & Societatem affecti fuerint isti Principes intelligi facillè potest; & ex iis, quæ dicentur postea, magis patebit. Jam, hoc Historiæ quasi solo ac fundamento posito, scripturi quæ ad Societatem nostram pertinent, initium ducemus a domestico ejus tumultu, & periculo, quod sub annum MDXCI. adiit; & quo haud scio an gravius ullum aliquando sit experta. Externa pericula, ut hostem longius positum, facile propulset: intestina multo difficilius; quia hostis intus & in visceribus est. Itaque Divus Paulus enumeratis *, *periculis fluminum, periculis latronum, periculis in mari, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis ex gentibus*, subjicit ultimum illud, quasi gravissimum, quod oritur ex *falsis fratribus*. Quam in sententiam rectè D. Bernardus monet: *Pax vobis a vobis fit; & omne quod extrinsecus minari videtur, non nocet* *. Hujus intestini motus initia, causas, modos & exitum hoc libro persequemur.

* II. Corint.

* Serm. 29. in Cant.

§. III.
ORIGO DOMESTICARUM SOCIETATIS PERTURBATIONUM.

JAM inde a condita Societate turbatum aliquid fuit in Lusitania. Causa turbatarum duplex. Simonis Rodericii, unius è primis decem Patribus, nimia lenitas: qui, dum administrat omnia mitius, & suæ quemque indoli permittit, laxavit vigorem disciplinæ, quæ sine singulorum coeunte unam in formam virtute ac vita non stat. Altera, Jacobi Mironis, in Rodericii locum & gubernandæ provinciæ munus ab Ignatio subrogati, nimia severitas; qui, dum tractat asperius omnia, & emendare quæ depravata erant, festinat (quod paulatim & gradatim fieri oportuerat) multorum animos irritavit. Caloris immodica vis & frigoris corporibus ex æquo nocet: alterum altero temperandum est, ut profit. Ceterum, quia laxata semel disciplina difficile adstringitur, & mores paululum lapsi ruunt in deterius; gliscebant sensim in Lusitania legum nostrarum oblivio; vivendi quædam dicendique licentia, ceteræque familiarum religiosarum pestes. Præsidium debile imperium, & veluti precaria auctoritas; obedientia subditorum, ægra vel contumax; querelæ frequentes nec tacitæ; libelli etiam contra Ignatium, & conditas ab eo Constitutiones, palam scripti.

9.
Severitate lenitas temperandaPart. IV.
* Anno 1577
num. 151. 153.10.
Perturbatorum querelæ.

Pervasis Hispaniam hæc labe *, auctore quodam & capite præcipuo Dionysio Vasquio, cujus temeritas eò prorupit, ut proprium Hispanis Præpositum Generalem tribuendum contenderet. Mollius loquebantur Vasquii suffragatores & affectæ. Graduum inæqualitatem in Societate iniquo animo ferebant: rationem rectores collegiorum eligendi arbitrio Præpositi Generalis, cui nisi per litteras non essent noti, aliæque id genus nonnulla, criminabantur. Vehementius institerunt anno MDLXXXVIII. nec dubitarunt postulare, ut certa Constitutionum capita penitus abolerentur. Convenerant ea tempestate Romam delecti è provinciis procuratores. Illi non modo hæc postulata auribus animisque respuerunt, verum etiam de pœna iis, a quibus hæc proponerentur, irroganda deliberatum. Itaque nihil tum quidem perturbatoribus accidit è sententia. Sanè, quod sperarent, vivo Sixto V. nihil erat. Adscitus ad Ecclesiæ regimen è sacra Divi Francisci familia, norat omnes virorum religiosorum morbos; impiger idem & efficac

efficax ad remedia, ubi esset opus, adhibenda. Præterea dux inquietis deerat, qui partes fulciret. Nam Dionysius Vasquius, obscurum nomen, nullius auctoritatis ac famæ, impetu tantum & indolis acerbitate ac petulantia valebat: ad extremum etiam resipuerat.*

Mortuo Sixto V. nacti majores patronos, ut putabant, & omnia suis votis amica, rem serio aggredi statuerunt. Hic nova se aperit scena: novi actores, novum & immane periculum. Potentes patroni causam perturbatorum suscipiunt: alii amore Societatis, ut eam, quod aiebant, emendarent; alii & plures, odio. Atroces & inusitatæ contra Societatis moderatorem machinæ instruuntur. *Paris pugna, intus timores*. Primum inter suos patronos numerabant perturbatores Philippum II. Is illorum impulsu, ac studio etiam privatæ pietatis, de reformandis Hispaniæ religionibus consilium ceperat, jamque delegerat antistitem, qui eas inspiceret, ac pro imperio immutaret.* Hæc machina in omnes religiosos Ordines verbo, re ipsa in Societatem proprie comparata fuerat. Quod Claudius Aquaviva probe intelligens, effecerat apud Sixtum V. ne cui externo præfili fas esset Societatem lustrare. Id Philippo molestum. Non hic stetit Aquavivæ providentia, sed ut institutum Societatis novo propugnaculo contra molitiones impugnantium permuniret, rogavit Gregorium XIV. Sixto V. subrogatum, ut illud Apostolicis litteris denuo confirmaret. Jam erant confectæ litteræ, jam Claudio Aquavivæ in manus traditæ, cum subito Henricus Gusmanus, Comes Olivarius,* Philippi apud Pontificem orator, adit Gregorium; queritur de Aquaviva, quasi per eum itaret ne Societas in Hispaniæ regnis restitui pristinum in decus posset; quamvis remediis acrioribus (ita perturbatores jactabant, ac regi persuaserant) una maximè omnium indigeret. Non esse confirmandum Societatis institutum; sed multis in capitibus reformandum.

Paucis post diebus erat successorem accepturus Olivarius, & ab Urbe discessurus. Hoc ardentius agebat; & Pontifex, ut hominem placatum dimitteret, litteras a Præposito Generali repetiit, ac ne promulgarentur, vetuit. Aquaviva dolorem suum prudenter dissimulans, agit cum Paulo Cardinali Sfondrato, Gregorii nepote: docet quam iniquum sit ab Oratore Hispano consilia Pontificis everti, beneficia eripi, locum perturbandæ Societati dari. Audivit hæc Pontifex, & æqua judicavit. Itaque pro litteris brevioribus jam datis, quas, ne succederet Olivarius, premi voluerat, amplissimam edidit Constitutionem, qua confirmat approbatque denuo, quæcumque a Paulo III. Julio III. Gregorio XIII. fuerant sancita, & approbata de instituto Societatis: ac ne quis illud immutare, impugnare, aut infringere, usquam audeat, gravissimis poenis indictis, vetat. Præsertim verò summam unius capituli potestatem esse jubet, a quo in reliquos præpositos, tanquam in membra, derivetur. Hoc idcirco additum, quòd isti eligendos a sua quosque provincia præfides domorum Societatis & rectores pugnarent. Porro negotium tam occultè, tam solerter Aquaviva tractavit, ut antequam quidquam Comes Olivarius persentisceret, dum adhuc Romæ versabatur, confecta Constitutio, delata in Hispaniam, & ibi promulgata esset. Exarsit ille graves in iras, & patronus non levis perturbatoribus accessit.

Sed multo metuendi magis erant sacræ Inquisitionis in Hispania administræ grande momentum, quocumque inclinassent. Illis verò infensis uti Aquaviva dicebatur, præsertim ab anno MDLXXXVII. cum de ipsorum cunctatione questus apud Sixtum V. dederat operam ut Pontifex ipsis causæ cujusdam cognitionem, & iudicium adimeret. Hinc rumor sparsus id agere Aquavivam, ut Societatem ab eorum potestate penitus eximeret. Auxit suspicionem Constitutio Gregorii XIV. in Hispaniam perlata, de qua proximè facta mentio. Cumulavit offensionem Pontificia quædam de sacramento pœnitentiæ declaratio*, quam suggerente Aquaviva editam a Clemente VIII. sacri Quæsitores non sine gravi detrimento suæ auctoritatis arbitrabantur. Ita comparati aures accommodabant perturbatoribus, & illorum causam contra Præpositum Generalem amplexuri facile credebantur.

Fecit animos jisdem rerum novarum cupidis Clemens VIII. Hunc enim fama vulgaverat non nimis Societati esse deditum, minime vero ejus Præposito Generali Clau-

* Lib. VIII. Partis V. n. 83. Lib. IX. n. 167.

S. IV.

PATRONI PERTURBATORUM.

I.

Quidam falsò, quidam haud temerè crediti.

II.

Philippus II.

* Parte V. Hist. Soc. ad ann. 1588. n. 144. & 1589.

* De Olivares.

III.

Comes Olivarius.

IV.

Sacri Quæsitores.

* Infra n. 34.

V.

Clemens VIII. à Societate, & ejus Præposito Generali creditus alienior.

Claudio Aquavivæ. Cur ita plerique existimarent causâ id erat. Clemens, nondum Pontifex, Cardinalis tunc Aldobrandinus, Nuncii Apostolici nomine Poloniam anno MDLXXVIII. petiturus, Patrem Antonium Possevinum, ut rerum illic & locorum peritissimum, expetiverat comitem; neque ab Aquaviva impetraverat, metuente ne rem faceret ingratis Sixto V. qui rogatu Cæsaris Possevinum è Polonia revocaverat. Quæ causâ tametsi Cardinali Aldobrandino iusta videretur, tamen repulsam molestè tulisse dicebatur. Semper enim durum est viris principibus non exorare, quod orare non gravantur. Idem Aldobrandinus cum venisset in Poloniam, & ad eum quo par erat honore ubique excipiendum, Poloni Patres contulissent quidquid auctoritate & gratia poterant apud Poloniæ dynastas (ita enim Aquaviva præceperat) miratus fertur illorum munificentiam; mox etiam aures præbuisse non illibenter malevolorum sermonibus, gratiam hanc apud proceres ac potentiam non verâ virtute, sed aulicis artibus partam dicentium: & auditum aliquando narrat cum diceret, homines Societatis nimis in aula Principum gratiosos ac potentes esse. Accesserunt subinde aliæ quædam offensionculæ, placatæ illæ quidem veritate comperta, initio tamen Pontifici submolestæ. Huc adde, quod pro sua clementia pronas semper & apertas dabat aures crebris paucorum querelis, gubernationem Societatis inculantium, seque a Præposito Generali neglectos, aut injuria vexatos existimantium. Cum verò iniquitatem ejusmodi querelarum, & falsitatem dispicere non posset, suspicatus est hæere culpam in Aquaviva vel nimie severitatis, vel animi haud satis erga omnes æqui. Ut ut est dubitari non potest, quin a perturbatorum fautoribus idem Clemens, creatus Pontifex, contra Claudium Aquavivam stimulus fuerit, quasi Societatem perpetram gubernaret. Itaque nonnulla in eundem, ut modo videbimus, è sententia istorum, ut apparet, instinctuque, durius quàm solebat, consuluit.

16.
Patroni perturbatorum in ipsa Societate.

Hos rerum novarum cupidi patronos potentiores recensebant quasi foris & extra Societatem, præter alios bene multos, partim in religiosis quibusdam familiis, partim in aula; itemque in celeberrimis academiis, qui communi quadam in Societatem malevolentia incitati, vexatores ejus & inimicos in amicorum ducebant loco. Nec nullos iidem perturbatores intra Societatem ipsam patronos numerabant. Insigniores erant Josephus Acoſta, & ut quibusdam placet, Franciscus Toletus, in sacrum Cardinalium collegium per idem tempus cooptatus.

17.
Josephus Acoſta.

Erat Josephus Acoſta minimus natu fratrum quatuor, quos Societatem pariter ingressos ipse præclaris dotibus longe superabat. Indoles ingenua, liberalis, & ad conciliandam hominum benevolentiam nata: ampla mens, & rerum magnarum capax: excellens ingenium: multæ reconditioreſque litteræ; quodque in viris eruditis rarius, sagacitas & prudentia in tractandis negotiis vel difficillimis, nec non felicitas in iisdem ad optatos exitus perducendis. Dissidere a Præposito Generali Societatis aliquando visus ob eas, quarum infra mentio fiet, causas. Priusquam hæc inter illos, si qua fuit, alienatio glisceret, missus in Americam præfuerat Provinciæ Peruanae, ex qua in Europam reversus ad Philippum regem, magnam ab eo gratiam inierat, explicandis rebus novi istius Orbis, quarum erat apprime gnarus, ut egregii commentarii testantur, quos de hoc argumento scripsit. Audivit eundem Aquaviva de iisdem rebus, deque statu Provinciæ Peruanae differentem, summa cum voluptate, ac remisit in Hispaniam,*

* An. 1589.
Vide lib. IX.
P. n. 163. 177.

Visitatoris nomine ac potestate ornatum; ejus prudentia & auctoritate componi domesticas turbas posse ratus. Aliter, ac putabat, accidit.

19.
Franciscus Toletus.

Ut Madriti apud Philippum Acoſta, sic apud Clementem Romæ gratia singulari Toletus valebat. Plus illi ad dicendum facultatis inerat; prudentiæ solertiæque non minus: ex quo verò in Purpuratorum Patrum adscriptus fuit cœtum, multo plus auctoritatis & famæ. Priusquam Societatem iniret Salmantica, tantam erat ingenii laudem consecutus, ut a Dominico Soto, præceptore suo, *natura prodigium* * vocaretur. Vix dum exacto tirocinio philosophiam, postea theologiam, eadem ingenii & eruditionis laude complures annos docuerat: deinde habendis apud Pontifices Pium V. Gregorium XIII. Sixtum V. sacris concionibus in palatium Pontificium arcessitus; legationibus in Polonia & Germania obeundis, aliisque nego-

* Parte II. Hist. Soc. Lib. II. n. 133

negotii gravissimis adhibitus, ubique specimen excellentis viri præbuerat. His de causis Toletum Clemens singulari complectebatur benevolentia, illius consuetudine congressuque delectabatur; consiliis ac prudentiæ plurimum tribuebat. Alienior à Claudio Aquaviva fuisse Toletus creditus est: sive quòd amborum sententiæ in plerisque rebus; ut optimis interdum viris usvenit, discreparent: sive quòd moleste ferret Aquaviva Toletum apertius favere quibusdam Hispanis, domesticam Societatis pacem & administrationem turbantibus. Sanè in Congregatione Quinta eo ferè uno interprete ac sequestro apud Pontificem utebantur. Si quid ille tamen peccavit studio nationis, qui nævus summis etiam viris adhærescit, adduci non possum ut existimem eò ipsum procedere voluisse, quo isti tendebant. Sed idem ferme tum accidit in Societate, quod in tumultu populari. Multitudo illustria Principum ac procerum nomina præterdit cœptis audacibus, ad famam & præsidium; hisque sæpe invitis aut ignavis, fertur quo præceps impetus rapit.

Nihil agitabant levius rerum novarum cupidi, quàm ut Societatis institutum planè mutarent, hoc est, penitus everterent. Quinque præsertim capita in eo mutata cupiebant: 1. Tempus ac modum edendæ professionis. 2. Graduum varietatem. 3. Rationem dimittendi homines è Societate. 4. Casuum reservatorum delectum. Denique volebant unicuique fieri liberam utendi Cruciata potestatem, quam Summi Pontifices, ut priori tomo hujus V. partis explicatum est, rogatu Præpositorum Generalium, Societati ademerant. Præterea peculiarem flagitabant magistratum, qui regeret Hispanias, Commissarii nomine: & ad negotia nationis componenda, Congregationem è solis constatam Hispanis postulabant. His consiliis geminus occurrebat obex. Primus, auctoritas Præpositi Generalis, quam D. Ignatius in Societate voluit esse summam, ita ut ab uno apta essent omnia, & ad unum omnia deferrentur. Obex alter, ipse Aquaviva, tenax legum & Instituti servantissimus. Ad hæc repagula convellenda, conabantur efficere ut Præpositi Generalis administratio nequaquam esset perpetua, verum certo annorum numero, contra quàm planè sanxit Ignatius, finiretur. Id si fieri non posset, deliberatum certè ipsis erat illius auctoritatem debilitare, eandem dividendo in Congregationes Provinciales, in Assistentes, in singulos domorum præfides, ac demum in capitula, ut vulgò vocant. Sic fluvius ingens, in multos distributus rivulos, languet; nec eadem, quæ prius, majestate fertur. Labefactato hunc in modum ac diminuto capite Societatis, membra cetera non difficile convulsam iri sperabant.

Ea vero cum satis intelligerent nullo pacto confici posse, quandiu clavum Societatis teneret Aquaviva, hunc illi eripere, ipsumque a gubernaculis dejectum Roma procul exturbare decreverunt. Incredibile hoc dictu videatur, nisi facta, quæ mox referentur, consiliis responderent. Et ita fere accidit, cum ambitio, vel alia cupiditas impotens animos invasit, nullum ut facinus appareat iniquum: imo virtutis nomen induat, si publicæ rei prodesse credatur. Neque tamen est cur quisquam, dum hæc audit, obstupescat. Pauci erant istarum auctores turbarum. In multis probis magnum est si pauci sint deteriores. Ex illis ipsis nonnulli quod putabant optimum sequebantur. Quotus autem quisque est, quem species boni, fucò mendaci obliterata, quandoque non fallat? Denique nondum ita constituta Societas erat, ut perturbari concutique facile non posset. Jactari profuit, ut radices altius ac firmitus ageret. Non eveniunt hæc sine Numine. Hinc divina in gubernandis Ordinibus religiosis Providentia clarius elucet: ut, quemadmodum Apostolus prædicat, *Non sumus fidentes in nobismetipsis, sed in Deo.* * Hinc posteris exempla, hinc documenta ministrantur.

Duplici via, quo tendebant, pervenire turbatores conati sunt. Primo quidem per sacros Quæstiores, & Philippum II. Sed, cum res non satis ea ratione succederet, honestius multo putaverunt, hoc ipsum in Congregatione Generali, & totius Societatis comitiis machinari.

Vidit imminentem procellam Aquaviva; & qua erat excelitate mentis, periculi tanti molem impavidus excepit. Ingens illi animus, & rebus adversis prosperisque major: in deliberando prudens & rectus, in exequendo acer & constans; artium aulicarum, inter quas incuntem egerat ætatem, & gnarus & abstinentissimus, gnarus,

20.
Consilia perturbatorum.

* II. Cor. 1.

21.
Quo pacto Præpositus Generalis illa disjecerit. Aquavivæ imago.

gnarus, ut facile non posset falli; abstinens, ut fallere ac lædere quemquam nollet. Probitas & innocentia singularis, quam frustra morderet calumnia. Sapientia vigil in omnem partem & experrecta; quam neque deciperet calliditas, neque rerum facies improvisa percelleret. Aderat etiam auctoritas, parta tum generis splendore, tum Cardinalis Octavii Aquavivæ, cujus erat patruus, dignitate. Ad hæc aula Romana ex longo cognita, cultaque. * His doribus instructus perturbatorum elusit consilia, molitiones disiecit. Ac primo quidem Societatis institutum nova Summi Pontificis Constitutione confirmandum curavit. Deinde perturbatoribus patronos eripuit, ut qui stare per se non poterant, illis ademptis conciderent. Regem Catholicum per homines sapientissimos dedocuit; mitigavit obsequio; patientia & æquitate placavit. Ad eundem modum sacros Quæsitores in suas adduxit partes. Acoftam auctoritate pollentem apud Philippum & gratia, cum frangere nequiret, indulgentia & comitate flexit. Toletus, ne quid per eum alii molirentur, obstitit. Clementem Pontificem insigni obedientia, & afferendis rerum gerendarum æquifimis rationibus, ut æquitatis & justitiæ amantissimum, conciliavit. Ex ipsis deinde perturbatoribus alios eiecit e Societate; alios Romam, ut causam ibi dicerent, iussit accedere: aliorum accusationes, innocentia fretus, admisit ac retudit: omnes gravissimo Congregatæ Societatis decreto multandos & coercendos curavit. Sed hæc omnia distinctius ipsa narratio & suavius evolvet. Jamque procurant in campum perturbatores, & aciem veluti explicant.

* Plura de illo habet lib. XXI.

22.
Hieronymus Acofta turbare incipit.

A. C. 1591.
Soc. 52.

* Sextili mensi anni 1591.

S. V.
CONSTITUTIO GREGORII XIV Societatis Institutum confirmans.
* Supra n. 13.

23.
Cur finistræ accepta fuerit in Hispania.

24.
Garcias Loayfa Hieronymum Acoftam objurgat.

Primi prodeunt, quasi velites, & alex tentandæ causa, Hieronymus Acofta, & Joannes Baptista Carillius, in Hispania: Gaspar Coellius, & Ludovicus Carvallius in Lusitania. Faciebat animos Hieronymo Acoftæ frater ipsius Josephus Acofta, Regi carus & procerum gratia florens, at fratri multum dissimilis; quippe comis, urbanus, aulæ sciens, & dissimulare in loco doctus. Hieronymus contra, præceps, turbidus, patiendi tacendique insolens. Eo perturbatoribus crior, & aptior. Multa de illo perlata fuerant ad Præpositum Generalem querelæ, nec falsa. Questus est factam sibi injuriam: accusatores suos in judicium vocavit; ipsi Generali Præposito litem intendit. Quin etiam Regi libellum obtulisse fertur, quo Societatis institutum legesque graviter accusabat. Et favebat hominis protreviæ opportunitas temporis. Per eos enim dies * perlata in Hispaniam fuerat Gregorii XIV. Constitutio, Societatis instituta confirmans: quam etsi non alio consilio quæsierat Aquaviva, nisi ut munimentum firmissimum instantibus adversariis opponeret, a malevolis tamen dicebatur hanc ideo procurasse, ut ægrè Catholico regi faceret. Allatæ cum ea fuerant Comitibus Olivarii * ad eundem Philippum litteræ, quibus affirmabat Præpositum Generalem nullum lapidem non movere, ut sacrum Inquisitionis in Hispania tribunal omni prorsus in se ac suum Ordinem potestate privaret. Id vero ab illo parari tam occultis artibus, ut eas ipse, licet oculos intenderet acerrime, nullo dispicere pacto potuisset. Ea mente impetratum ab eodem diploma Pontificum, cujus beneficio se triumphaturum de sacra Inquisitione speraret. Ejusmodi litteræ aulam finistris adversus Societatem rumoribus impleverunt. Et sacri Quæsitores abuti Præpositum Generalem benignitate Pontificis palam querabantur.

Ad geminum hoc periculum propulsandum oblatus est, non sine Numine, Gironus Garcias Loayfa: vir egregius; Regi, Societati, æquitati, amicissimus. Philippi Principis adolescentis, qui postea patri successit, pueritiam instituebat; ac merito ambigeres sapientior esset an doctior. Eruditionem ejus loquuntur Hispaniæ concilia, quæ incredibili studio ac labore illustrata, & magnam partem e vetustatis tenebris eruta, in lucem edidit. Quantum ejus prudentiæ Philippus II. tribueret, satis docuit, cum ei filium erudiendum, ac Toletanum deinde Archiepiscopatum gubernandum, commisit. Rogatus ab Aquaviva Rex, ut Hieronymi Acoftæ causam alicui examinandam demandaret, Philippus ejus audiendi negotium Garciae Loayfae dedit. Audivit ille per otium; & quamvis levitatem procacis ingenii apud Aquavivam utcumque excusaverit, hominem tamen observandum, & cavendum esse monuit. Perspexerat illius indolem & consilia, cum Hieronymus aliquando dixisset, ita se probare instituta Societatis, ut non dubitaret eam commodius administratum iri, qui-

quibusdam immutatis, & aliter atque ab Ignatio statuta primum erant, compositis. Ego vero, subjecit Loaysa, pro certo habeo, Deum Ignatio in Societate condenda, non minus adfuisse, quàm Divis Francisco & Dominico, in suis Ordinibus prudentissimè ac sanctissimè constituendis. Ecclesia catholica multo latius est diffusa, quàm Societas: ab uno tamen Christi Vicario commodè regitur: quid esse, quæso, causæ potest, cur Societas ab uno Generali Præposito non rectè gubernetur? Idem Loaysa præclare de nobis meritis est, explicanda & laudanda Gregorii XIV. Constitutione, tum in aula, tum apud sacros Quæstiores. Rogavit ut Constitutionem ipsam perlegerent, sibi que plus quàm aliis in re tam gravi crederent. Hoc ubi ab illis impetravit, intellexerunt non attentatum a Præposito Generali jus alienum, sed necessaria incolumitati Societatis præsidia fuisse quæsitæ. Valuerunt etiam ad suspiciones diluendas accuratissimæ Cardinalis Sfondrati litteræ; Petri Mellini Nuncii Apostolici sedulitas, & procerum officia plurimorum.

Multum quoque profuit ad coercendam Joannis Baptistæ Carillii audaciam ejusdem Loaysæ apud regem gratia. Carillius perturbatorum signifer, sibi, nec temere, metuens ab Aquaviva, qui ferro quadam ulcera purgari melius quàm oleo fomentisque intelligens, parabat illum ejicere Societate; sacrum Inquisitionis tribunal appellaverat, tanquam a Præposito Societatis iniquè vexatus. Miserunt Quæstiores Salmanticam certos è suo collegio, causam ut Carillii cognoscerent. Injustam, & fraudibus mendacisque male fultam deprehenderunt. Quod ubi rescivit Aquaviva, nullam interposuit moram, quin eum a corpore Societatis rescinderet. Res ille suas habere sibi jussus, in oppidum Villacastinum Segoviensis diocesis se recepit. Ibi cum multa in Societatem, multa in viros Principes effutiret è superiore loco, ab Episcopo Segoviensi concionibus habendis & audiendis confessionibus prohibitus est. Conjecit infortunii sui causam in Societatem. Regi denunciavit auditum esse Aquavivam cum diceret cavendum Philippo esse, ne administrationem Societatis attingeret: alioquin se Indias in eum per suos concitaturum. Risit Philippus, & istam novi periculi denunciationem examinandam Loaysæ dedit. A quo Carillius, uti dignum erat, objurgatus, alias de Societate querelas, alia crimina detulit ad Quæstiores. Illi, ut molestum rabulam excuterent, egerunt cum antistite Segoviensi ut ne illum saltem prohiberet sacramentorum administratione, quam sibi ereptam per Societatis homines suspicatus, stomachum in eos erumpebat. Rescripsit antistes, nihil a se consilio precibusve Societatis in ea causa factum: justis & necessariis de causis ademptam concionatori maledico fuisse facultatem populi depravandi; nec satis dignum videri cui sacrum tribunal patrocinaretur.

Carillius à Quæstioribus destitutum se videns, in eos ipsos patronos suos linguam petulantem ac stylum exeruit. Dolere viri sapientissimi se à protervo capite tandiu delusos, ac decreto edito sanxerunt, ne cui deinceps homini Societatis munus consultoris, aut alia pars ulla ministeriorum Sancti Officii mandaretur. Quo quidem onere licet Societas levatam se esse non molestè ferret, non potuit tamen sacrorum Quæstiorum offensionem aliquam non graviter ferre. Illos Loaysa in præfens, ac postea Præpositus Generalis, placare diligenter studuerunt.

GASPAR Coellius, & Ludovicus Carvallius, nihil se profecturos apud sacrum Inquisitionis tribunal, post Carillianam cladem, arbitrati, suas ad Romanam curiam, ad arcem veritatis & pacis, querelas deferre non indignum rei gravitate duxerunt. Degebant ambo in collegio Eboresis: ingenio uterque duro, & pravo: doctrinæ non nihil in utroque, virtutis parum: quæ causa fuerat cur, etsi multa jam in Societate stipendia fecissent, nullo tamen altiore, qui datur idoneis, gradu essent cohonestati. Mæror inde, ac tædium disciplinæ; & quia præsentia displicebant, amor novitatis. Summum Pontificem adire per libellum supplicem statuunt. Nonnulla colligunt capita, quæ in Instituto nostro molestissimè ferebant. Dum libellus a Carvallio Lusitanâ; Latinâ vero linguâ componitur a Coellio, addunt se reformatoribus novi milites, Gaspar Fernandus, Dominicus Araozius, Simon Cardoso, & Petrus Fonseca, Indicus; longè ab alio Fonseca diversus, cui negotium Societatis in Lusitania visitandæ à Præposito Societatis datum erat. Indici cognomen huic Petro Fonseca positum, quòd ex Indiis, ubi parum proficiebat, remissus in Europam fuisset. Accessit ad ful-

25.
Ejusdem præclara de Societate vox & opinio.

26.
Constitutionem Gregorii XIV. apud sacros Quæstiores laudat.

27.
Joannes Baptistæ Carillius Societatem & ejus moderatorem apud sacros Quæstiores accusat.

28.
Quæstiores concessi Carillio patrocinii penitet. Forum inde offensio in Societatem.

S. VI.
PERTURBATIO INGRAVESCIT IN LUSITANIA.

29.
Ejus auctorea præcipui.

ciendas illorum partes Episcopus Georgius Araidius, Lusitani apud Philippum regem consilii præses, qui se ad reformandos Ordines religiosos dicitabat natum, eamque in rem operam nobis suam ultro ac prolixè, licet non rogatus, deferebat.

30.
Carvallius evo-
candum se cu-
rat ab Alberto
Austrio Cardi-
nali.

Vix est ut multorum coitiones latere diu ac regi sic possint, quin aliquid perluceat. Fonseca Visitator nescio quid subodoratus Coellium arcessit. Venire detestantem, sive contumaciâ, sive metu, comprehendi & custodiri jubet. Conturbatus socii casu Carvallius, per certos homines rogat Albertum Austrium Cardinalem Lusitanæ proregem, ac Pontificis Legatum a latere, ut se Olisipponem (nam ibi Albertus degebat) evocet, dicturum coram quæ mandare litteris non auderet. Confestim accitus miserum, ut ajebat, Societatis statum exponit, quæ illius ab Ignatio institutæ Societatis umbra tantum, & inane simulacrum esset: in qua per vim ac tyrannidem omnia gererentur; ubi nullus esset consilio, legibus, æquitati locus. Unum his malis remedium afferri posse, si deligeretur antistes expertæ probitatis ac prudentiæ, qui propius omnia inspiceret, ac pristinum in decus reponeret. Daturum se Cardinali propediem in manus librum, in quo ea quæ diceret, certis testata indicii notarentur. Albertus benignè auditum, & rem tacitam habere jussu dimittit.

31.
Coellius è So-
cietate pellitur.

Carvallius, lætitia gestiens, scribit illic Eboram ad Coellium, ac docet quid locutus cum Cardinali fuerit; jubet animo esse bono, brevi enim custodia liberandum: deinde monet ut Cardoso & alios consiliorum participes, tam læto nuncio impertiat. In clausula nonnihil de libro, quem pollicitus erat Cardinali, subungebat. Quamvis eò præsertim intendisset curam, ut elusâ custodum diligentia, litteræ in folius Coellii manus tuto pervenirent, tamen interceptæ manifesto Numine sunt, & ad Provinciam perlata: qui eo indicio conjurationem ejusque socios cognovit, ac librum ipsum in Carvallii scrinio deprehendit. Coellium sine mora ex Eborenâ collegio & Societate pellit: sapienter veritus ne ab hoste domestico & tecto plus negotii, quam aperto & externo, foret. Ulcus, quandiu intestinum est, vix relinquit medicinæ locum: si erupit, facile curaveris. Sanè nullum exinde finem Coellius fecit accusandæ ac divevandæ Societatis; sed leviori damno, quippe jam notus.

32.
P Fonseca Vi-
sitor regem
admonet de
Carvallii con-
siliis adversus
Societatem.

Vidit interim Fonseca Visitator non defuturos in aula, qui certiores de his Philippum regem facerent, ac pejorem fortasse in partem omnia, sive ignoratione veri, sive malevolentia, narrarent. Antevertendum putavit. Quare, scriptis ad regem accuratè litteris, ei Carvallianam conjurationem aperit, opem implorat; nonnulla quæ in rem crederet, prudenter ac modestè, majestatis & officii memor, addit. Rex ad consilium Lusitanum referri causam imperat. Paucis post diebus, de consilii Lusitani sententiâ, pronunciat se integrum negotii arbitrium Fonseca Visitatori permittere. Exoratus quoque per Fonseca Cardinalis Albertus exempla omnia famosi libelli, à Carvallio contra Societatem scripti, quæ in manibus multorum erant, deferri jussit ad magistratus, constitutâ non obtemperantibus anathematis poenâ. Missæ per idem tempus Roma litteræ à Cardinali Sfondrato significabant Gregorium XIV. edito per Sixtum V. diplomati, quo jus & facultas Regi dabatur explorandi religiosas in Hispania familias, per quemcumque ipsi videretur, ita derogasse, ut nominatim vetaret Societatem per externum quemlibet visitari.

33.
Gregorius XIV.
Societatem per
externos visita-
ri vetat.

34.
Metus è libro
Carvallii. Do-
mestica quæstio
de Patribus
habita.

Albertus interea videre librum expetiit, de quo factam sibi mentionem a Carvallio meminerat. Quem cum legisset, Mihi dubium non est, ait, quin multa sint in eo mendosè ac falsò scripta: sunt aliqua nihilominus, quæ refutatione indigeant. Hanc sibi non ingratham, nec inutilem Societati fore indicavit: donec ea porro fuisset conscripta, videri Carvallium Olisippone amovendum non esse, neque in ejus gregales animadvertendum. Conscripserat paucis diebus, & illi oblata. Eadem in aulam missa. Altum utrobique silentium, & gravior è silentio metus. Tandem Cardinalis (incertum an sua sponte, an regis jussu) nunc hos nunc illos è Patribus arcessit, ac jurare cogit vera dicturos, neque verba cuiquam de iis quæ gerebantur facturos. Tum ad certa capita respondere jubet, & quandam quasi quæstionem instituit. Quo silentii major & arcani fides; eo rumorum plus ac suspicionum erat; aliis alia opinantibus ac timentibus. Nostros erigebat conscientia: populus, ut est male suspicax, aliquid subesse monstri jactabat, quod brevi denique aperiretur & pateret. Urgenti quæstionem hanc Alberto redduntur a Sfondrato Cardinali, nomi-

ne Pontificis, gravissimæ litteræ, quibus Pontifex præcipiebat, ut omnia Carvalliani voluminis exempla conquirerentur, & Societatis Provinciali traderentur: præterea factiosorum eos, qui extra Societatem essent, per se puniret; qui intra Societatem, puniendos Provincialis arbitrio relinqueret.

Ejusmodi litteris à Cardinali acceptis, intermissa quæstio paulisper; attamen haud ita longo intervallo redintegrata. Id simul atque cognovit Fonseca, quamquam ueretur minus commoda valetudine, & lustrandâ provinciâ distineretur, Olliipponem regreditur. Cardinali oblati ex improvise, modestè cum eo exposulat. In memoriam revocat pristina ipsius beneficia in Societatem, cujus innocentie testis & laudator etiam fuerit non semel. Eorum qui tumultus istos conciverint paucitatem, calumnias, notam pravitatem ostendit. Quam illi formam Societatis gubernandæ mutatam velint, eam Romæ, eam orbe terrarum toto vigere ac laudari: eandem à Concilio Tridentino, à Summis Pontificibus, & à Gregorio XIV. nuperrima Constitutione, omnibus diligenter expensis, confirmatam, & approbatam. Illis certè potius, quàm septem vel octo, nullius famæ, auctoritatis, & doctrinæ hominibus, credendum videri. Quod si venit adhuc in dubium, inquit, illorum qui tua benignitate abutuntur, audacia, ex iis litteris, quinam sint, poteris cognoscere. Sub hæc interceptam Coellii ad unum è suis gregalibus epistolam promit. Narrabat Coellius se benignè auditum a Cardinali, Patres libro suo meras nanias respondisse. *Petit Cardinalis*, pergebat, *confisiorum nomina, & dotes: nam Visitator faciem esse ait. Ego singulorum artem in religione actam, munia, gradus, & cetera exposui. Res admodum arcano agitur, & cum minimè opinabuntur, superveniet ventura dies: affirmavit enim Cardinalis regem cupere reformationem: addidit ut clanculum Carvallium convenirem. . . . Vix tenebat se Albertus, cum hæc audiret: exclamat denique, Miram hominis mendacissimi audaciam! Nihil horum egi aut dixi que memorat. Tu vero sic habeto, mihi a Societate penitus satisfactum: noveram equidem antea ejus innocentiam & integritatem; at modo, cum utraque mihi notior sit, æquum est illam in posterum esse mihi cariorem.* Instante Fonseca ut in Coellium animadverteret, Carvalliumque sibi permitteret: *Prope diem*, inquit, *set uti rogas; nam mihi quoque certa officii sunt leges.* Quo significare videbatur expectandum esse, quid aula censeret.

Cunctantem mortaliæ justitiæ Divina prævertit. Coellius, cum ad religiosos Divi Bernardi alumnos confugisset, brevi ex eorum castris transfugit: fratrem, quo uno spes ejus nitebantur, amisit ereptum repentino interitu; ipse diuturnis vexatus morbis vitam infelicem in merore traxit. Carvallius sacrorum usu & piorum communionem prohibitus, invisus omnibus, gravis ipse sibi, se respexit; flens ad Fonseca pedes accidit: crimen confessus, nullam, quæcumque imponenda videretur, poenam detrectavit. Nec ea dixisse contentus, in libello supplicis scripta, & a se obsignata, protulit. Libellus ad Cardinalem continuo est missus. Nec ita multò post fuit acceptum subrogati Gregorio XIV. Innocentii IX. diploma, quo hujus causæ cognitionem sibi uni reservans, Carvallium Societatis potestati permittebat. Quamobrem abstinit incæpto Albertus, ac se præterea de rebus nostris inquisitum negavit. Carvallius à Societatis corpore, cum præcipuis domestici tumultus auctoribus, est abscessus.

Interim Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus in solium Pontificium evehitur, anno MDXCII. incunte. Adfuit quamprimum Aquaviva cum delectis Patribus, & ad pedem oscula provolutus, vota Societatis precesque detulit. Respondit Pontifex, humanitate summa, gratissimam accidere sibi eorum voluntatem erga se ac Sedem Apostolicam. Pergerent porro, ac laborem nullum pro amplificanda ornandaque religione defugerent: facturum se vicissim Societatis universæ causa, quæ pro ejus commodo, pro suo munere, facienda cognosceret. Monerent ipsi ultro, & si quid è re foret, suggererent. Eo majorem Præposito Generali voluptatem attulit ista Pontificis benignitas, quod metuebatur, ne quid acerbitatis in Aquavivam & Societatem resideret in Clementis animo, propter eas, quæ sunt a nobis memoratæ *, causas: idque habebant omnino persuasum quicumque res novas in Societate moliebantur, & Clementem obtigisse sibi Pontificem

35.
Albertum Fonseca Visitator dedocet.

36.
Cardinalis turbatorum mendacia, & fraudes deprehendit.

37.
Carvallius ejicitur è Societate, cum suis gregalibus.

38.
Clemens VIII. Innocentio IX. successus.

A.C. 1592.
Soc. 53.

* Supra. n. 15.

tificem gratulabantur; quo saltem dissimulante, Societatis instituta fidentius attentarent.

S.VII.

JOSEPHUS ACO-
STA ROMAN
PROFICISCI-
TUR.

MATURAVIT ea res consilium Præpositi Generalis, jampridem de Philippo rege dedocendo conciliandoque solliciti; in quo rei cardinem potissimum vertebat. Jam quidem Josephum Acoſtam, id qui præstaret, miserat. Sed ille cum, Hispanæ Societatis statum considerans, laxata disciplina concordiaque vincula deprehendisset, persuaserat sibi, aut persuaderi passus erat, nullum præsentius ad hæc domestica vulnera sananda remedium adhiberi posse, quam si Generalis Congregatio indiceretur: idque ad Aquavivam perscripserat*. Verum Claudius pro sua sapientia videbat, ejusmodi remedium non posse, nisi longo interposito tempore, adhiberi; donec è provinciis disjunctissimis Patres convenissent, & in mora non parum periculi esse. Præterea metuebat ne perturbatores, ut erant Romæ & in Hispania principum auctoritate potentiaque fulti, consociatis suffragiis, saltem numero superiores, aliquid extorquerent in Congregatione Generali, quod alienum ab Instituto Societatis, imò toti corpori exitiale foret. Quibus malis breviori ac tutiori via credebat obviam iri posse, modò suorum sibi libera gubernatio relinqueretur. Itaque Josepho Acoſtæ rescribens, illum ab ea mente revocare diligenter studuit.

* Part. V. an.
1539. n. 190.

39.

Congregatio-
nem Genera-
lem purat Aco-
sta necessariam.
Aquaviva dif-
fentit.

Sed quàm difficile est exuere quod penitus in animum induxeris, præsertim si honoris*, aut alia hujusmodi cupiditas mentem occupavit! Florebat Acoſta multorum gratia procerum, eaque plus aliquanto, quàm par erat, gaudere videbatur, atque inter Hispanos Socios veluti regnabat. Peruanæ provinciæ plures annos præfuerat; Baticam & Aragoniam Visitator nuperrimè lustraverat, sperabatque inter Hispaniæ Provinciales brevi creandos locum aliquem sibi fore. Verum ubi spe sua se depulsum, & in ordinem redactum vidit; postquam intellexit mittendum propediem in Hispaniam P. Alphonsum Sancium, ad componendos motus, quos ipse pacare nequiverat: nonnihil conturbari visus est. Sane decreverat Aquaviva nulli deinceps provinciæ ipsum præficere. An quia diffidere cœperat hominis ingenio? an quòd ejus rationem gubernandi non satis æquabilem, & legibus nostris non semper planè consentaneam cognoverat? An denique quòd illa sæpius querelæ deferebantur ex Hispania, continuari paucorum apud Præpositum Generalem gratiosorum præfecturas, neglectis aliis nihilo deterioribus: nec dubium, quin ejusmodi querelis Acoſta maximè peteretur. Sensit illius ob eas causas marorem Aquaviva; quem ut leniret, ipsum Vallisoletanæ Professorum domui præfecit.

* Etiam sapien-
tibus cupido glo-
ria novissima
exiit. Tacit.
Hist. IV.

40.

Hieronymus à
Costa, fratrem
in eo consilio
confirmat.

Degebat in ea domo ipſius frater Hieronymus Acoſta, istorum, qui res novas in Societate moliebantur, perstudiosus, ut prædiximus*. Is igitur extimulare fratrem cœpit, & in Aquavivam irritare, a quo minoris quàm antea fieri videretur, licet tam bene de Societate tota & Hispania meritis. Si conciliari obsequio Generalis Præpositus nequiret, frangi fortasse metu posse: redonandam tranquillitatem & concordiam Societati, quæ gemebat oppressa auctoritate paucorum: favere istis consiliis tempus: novum adesse Pontificem, Aquavivæ non amicissimum, benevolum Hispanis, a reformandis religiosis Ordinibus non alienum.

* Num. 22. c. 24.

41.

Alphonsus
Sancius ad Phi-
lippum II. in
Hispaniam
Roma missus.

His permotus Josephus Acoſta pristinum de convocanda Generali Congregatione consilium urgere constituit; eoque vehementius, quòd intellexit Regem ita sentire, audivitque brevi adfuturum, cum amplissimis a Claudio mandatis, Alphonsum Sancium. Ille recens è Philippinis advenerat*, ut cum Philippo rege ac Præposito Societatis, de promovenda in istis insulis confirmandaque catholica religione ageret. Viri probitatem, ac prudentiam negotiis omnibus parem, norat Aquaviva; audierat quanta valeret auctoritate & gratia, in aula regis Catholici: nullum aptiorem existimavit, quem sedandis in Hispania turbis domesticis præficeret, ad quas comprimendas viam Acoſta moliebat, quam Præpositus Generalis minime omnium idoneam judicabat. Hæc Sancio, Roma discedenti, mandata dedit. Primò, ut Regi turbarum fontem aperiret, nempe datam externis hominibus cognoscendi de nostris rebus, quas parum haberent exploratas, facultatem; adem-

* An. 1590. n. 14.
Part. V.

ademptam verò Societatis gubernatoribus, statuendi de subditis potestatem. Deinde sacris Quæstoribus demonstraret, nequaquam id nos agere, ut eorum judicio potestatique Societatem subduceremus: doceret unde ortus iste rumor; quàm invidiosè ac falso sparsus. Postremò, inquit, implorabis Philippi auxilium & patrocinium, ad Societatem contra nefarias istorum molitiones defendendam: nec omittes facere mentionem publicæ regni utilitatis, cui pessimè, tum factò ipso, tum exemplo consulunt qui religiosorum virorum, adversus legitimos præfides contumaciam auctoritate regis armant. His mandatis addidit Claudius litteras ad præcipuos Philippi administratos, effecitque ut Pontifex ipse ad regem ea de re scriberet*.

Creditum est, si festinasset in Hispaniam Sancius, Josephi Acostræ disturbari consilia penitus, aut certè infringi potuisse. Verum ille, ubi primum de Sancii adventu certior est factus, nullam interposuit moram, quin eum anteveniret; eoque incubuit totus ut, quod pridem animo destinaverat, Aquavivæ imponeret necessitatem convocandæ Congregationis universæ. Opus esse ad eam rem mandato Pontificio intelligebat: Pontificem opera Catholici regis ad hoc inducere decrevit. Igitur Philippum, arbitris remotis, qua erat apud eum gratia, convenit: narrat, se usu ipso lustrandisque provinciis multa cognovisse, quæ ne suspicatus quidem olim fuisset: compertum sibi jam esse, plurima peccari in administranda Hispaniensi Societate, non tam à Claudio ipso, quàm ab ejus consiliariis, quibus nimium fideret. Unum restare certissimum tot malis remedium, generalem conventum totius Ordinis. Nunquam adductum iri Aquavivam ut eum indicat, nisi adigatur jussu ac mandato Pontificis: penes regem esse, ut hoc mandatum a Clemente impetretur; ita Societatem universam, & maxime Hispanam, graviter laborantem, servatum iri.

Hæc verè ab Acostra dici Philippus credit, utpote quem primariis in Societate muneribus fuisse honestatum videbat; quem percarum Aquavivæ, necdum ulla pejori suspicione notatum, audierat. Quærit, quid factò putet opus esse. Ille, virum aliquem regi notum mittendum Romam responderet, cum accuratis ad Clementem litteris, ut Pontifex Claudio det mandatum de Societate primo quoque tempore convocanda. Verecundia tum quidem deterritus Acostra fuit, ne se regi palam obtruderet; sed eò per ambages devènit. P. Laurentium Villegam, Philippo gratiosum in paucis, alloquitur: docet quæri hominem a rege, qui Romam eat ad Pontificem, de re quapiam majoris momenti, quam sedulo tractari Societatis universæ non parum intersit: se libenter operam in ea re Societati navaturum; quippe qui notitiam legum nostrarum & Instituti, longo partam usu habeat, nec nulla valeat Romæ, itemque Madriti, gratia; verum pudore impediri, quominus hanc ipsemet provinciam à rege deposcat. Promisit Villegas id sibi cure futurum. Rex nihil cunctatus annuit, & significat Francisco Galarzæ, qui Provincialis gerebat vices, placere sibi ut Josephus Acostra Romam continuo pergat; maturato esse opus: proinde illum urgeat, interposito, si necesse sit, graviore præcepto. Galarza, ut erat imperatum, fecit. Vix abjerat triduum, jam* ingressus viam Acostra, jam longè progressus erat. Hæc ita strenuè gesta sunt, quemadmodum è certis postea monumentis patuit, ut Romam ad Generalem Præpositum nulla, prius quàm gererentur, aspirare fama potuerit. Fuerant quædam sane indicia in Urbem perlata; sed aut non satis credita, aut serius Aquavivæ, cum ab Urbe abesset, significata. Absuit enim per aliquot menses, id agentibus qui suis opportunum consiliis judicabant, ne Romæ adesset, cum eò perveniret Acostra, aut dum Congregatio Generalis haberetur. In utroque decepti sunt. Ejus ab Urbe removendi occasio hæc fuit.

Coorta quædam erant dissidia inter Mantuæ ac Parmæ Duces. Illis componendis idoneum, & operi tam pio ac difficili parem, Societatis Præpositum Generalem Toletum, ut ipse fatebatur ac prædicabat, Pontifici suggestit. Vocat Aquavivam Clemens: suarum esse partium docet, ut inter Italiæ Principes concordia, paxque, foveatur. Omnia circumspèctanti non occurrere alium, cui possit hæc provincia conciliandæ pacis inter Mantuanum, Parmensemque, certius de-

man-

* De eodem Alphonso Sancio infra. n. 48. 51.

42. Acostra Sancium prævertit.

* Invenit Augustus 1592.

43. Aquavivam in Longobardiam Roma discedit Professionis causa.

mandari, quàm ipsum Aquavivam: eat sane quamprimum, & rem bene feliciterque gerat. Conturbatus inexpectato mandato Claudius, quem graves, ut diximus, super univèrsa Societate curæ digredi Roma non sinebant, respondet nihilominus se in potestate Pontificis esse, postmodum discessurum. Laudavit parendi alacritatem Clemens; litteras, viaticum, suam quoque lecticam obtulit. Hanc modestè recufavit Claudius; & postero, uti promiserat, die meritoria in rheda profectus est. * Parvo tamen operapretio; quia obfirmati dissidentium animi, dum æquitatem à se stare quisque putat, nullas pacis condiciones audiebant. Monuit Pontificem Aquaviva, & in Urbem redeundi veniam flagitavit. Vetuit Clemens, ea jurgia tempore ipso mitigatum iri disitans; posse Præpositum Generalem lustrandis interrim collegiis in vicinia positis, molles rei conficiendæ aditus opperiri. Tribus totis mensibus frustra consumptis, redire in Urbem æger coactus est; nec ita multo post eòdem Acofsta supervenit.

* Die 9. Augusti 1592.

44.
Eger Aquaviva Remam redire cogitur.

45.
Acofsta conatur ostendere Congregationem esse cogendam.

Statim Claudio dat litteras in manus, quas Philippus ad ipsum scribebat, pro convocanda Generali Congregatione: mox libellum depromit, in quo exponebantur causæ, ob quas illa quamprimum cogenda videretur. Nimirum, quòd anno MDLXV. secunda Generalis Congregatio censuisset expedire ut septimo, vel saltem nono quoque anno Societas in unum tota conveniret: jam autem annum à quarta Congregatione Generali duodecimum fluere. Deinde necessariam hanc esse contendebat, ut rationes inirentur astringenda, quæ solvi cœperat in Hispania, concordia animorum, ac disciplina. Tum, ut turbulentorum comprimeretur impotentia; ut sanciretur præpositorum auctoritas, quæ per hæc dissidia sic obsoleverat, ut coercere contumaciam aliquorum & ambitionem Aquaviva ipse vix posset. Ut statueretur etiam illorum numerus, quos oporteret convenire ad Congregationem provinciam: ad eam enim confluere omnes, qui vota quatuor emisissent; illorum numerum iusto majorem videri, ac propter itinerum impensas minuendum: id autem decernendum in conventu generali. Addebat, regem Catholicum, sacros Quæsitores, amicos Societatis omnes, ita censere. Præterea visitari collegia per externos periculosum, & noxium; ad Pontificem recurrere, longum & arduum esse: restare ut, quoniam licebat, res nostras ipsimet curaremus, & in commune consilia conferremus. Quod si metuitur, inquebat, ne in comitiis, quæ præsentente Generali Præposito habebuntur, aliqui oriantur tumultus, multo est metuendum magis, ne, aut eo vivo, aut certè mortuo, habeantur conventicula, in quibus aliquid perperam, ac difficile postea emendandum, statuatur. Ad hæc, negabat posse aliter opprimi rumores disitantium Generalem Præpositum, male sibi conscius, nihil aque pertimescere atque congregatam Societatem: idcirco illos ab eo vexari, quos hujus sententiæ auctores participesve sciret: Porro autem, nisi Aquaviva Congregationem sponte indicat, verendum ne hoc ipsum facere cogatur mandato Pontificio, rogatu Philippi regis. Occurrendum etiam esse querelis malevolentium, qui litteras Pontificias, & diplomata, Societatis institutum ac leges confirmantia, clamitarent fuisse per Præpositum Generalem à Summis Pontificibus extorta, invita Societate. Id quàm falso jaçetur tum denique ostensum iri, cum easdem litteras quàm gratas habeat Societas congregata declarabit. Postremò affirmabat nullum remedium occurrere, ad confirmandam Societatis valetudinem, aut curanda, si qua essent, ejus vulnera, efficacius; nullum legibus nostris congruentius, quam totius Ordinis comitia.

Hæc fermè in eo, quem obtulit Aquavivæ, libello Acofsta differebat; quæ rem prima specie intuentibus, nec tempora, uti tunc erant, ac Societatem introsipientibus, plausibilia videbuntur: ut mirum fortasse non sit, quòd Josephi Acofsta partes Toletus, alique nonnulli sint amplexi. Religio enim mihi est credere illos aliquid exempli deterioris contra Societatem, aut ejus Præpositum fuisse molitos; ac tantorum virorum nomini maculam inurere, aut suspitione graviore sine perspicua causa, premere cineres honoratos; quo nihil est diligentius historico fugiendum.

* Supra. n. 38.

Præter illas, quæ supra sunt allatæ *, causas, quibus Aquaviva movebatur ne Congregationem cogendam censeret, singulis etiam capitibus ab Acofsta propositis,

positis respondebat, Ac primo quidem decretum secundæ Congregationis de convocanda septimo quoque anno, vel saltem nono, Societate, ab eadem Congregatione abrogatum esse; omnibusque tunc placuisse, ut quod erat super ea re præscriptum in Constitutionibus teneretur, quæ certum tempus non designant. Statutum etiam fuisse, ut singulis trienniis missi Romam à provinciis procuratores viderent, an cogenda Congregatio Generalis foret; iis ante biennium convocatis visam esse non cogendam; eisdem, anno proximo eadem de re deliberaturos; expectandum quid essent judicaturi, ac totam quæstionem illorum arbitrio reservandam; non esse tantum in tantula mora periculum. De Professis, qui nimium multi dicerentur ad Congregationes provinciales convenire, referendum ad conventum Generalem, cum tempore solito cogeretur, ut numerum illorum definiret. Atenim rex Catholicus Congregationem postulat. Nimirum ab iis impulsus, qui eundem induxerunt, ut lustrari per externos Societatem expeteret; designant illius auctoritate abuti & gratia; quiescet ipse non invitus, &, quam flagitamus, quietem libentissimè indulgebit. Extimescit Præpositus Generalis Congregationem, inquit: omnino illam, quæ neque cogitur ex Ignatii præscripto, neque legibus nostris regitur. Non Congregationem, sed eos qui Congregationem constari pro libidine sua volunt, timet. Cum à procuratorum conventu, post annum habendo, judicabitur promulganda, nihil erit in Præposito Generali moræ, quin promulgetur. Nam quod ajunt videri quibusdam extortas à summis Pontificibus litteras & diplomata; nimis aperte illi faciunt injuriam Sedi Apostolicæ, qui eam deludi ac decipi tam facile potuisse arbitrentur. Demum, quod prædicant alio nullo remedio Societatis vulnera curari posse; satis in quatuor, quæ hæcenus habitæ sunt Congregationibus, satis in ipsis Constitutionibus nostris, remediorum ac præfidiorum suppetit, modo libera potestas utendi fiat.

Ea commodè responderi videbantur: at, quid agendum porro foret, statuere non tam promptum erat. Videbat Aquaviva & primores, ad deliberandum ab eo vocati, Patres consilia obrudi ab homine, à quo minimè decebat; precesque tantum non armatas adhiberi. Minaces proferri litteras potentissimi regis; ostentari metum à Pontifice; omnia lubrica & angusta. Satis in rebus panè desperatis proficitur, si spatium & mora impetrari possit. Renunciat Acofta Claudius, se Philippi regis voluntati nulla in re defuturum. Congregationem tamen è vestigio indici vix posse, præsertim cum abesset Hispaniæ Assistent, quo inaudito quidquam decerni æquum non erat; hunc brevi adfuturum. Intellexit Acofta quorsum hæc pertinerent. Recta pergit cum oratore Hispano ad Pontificem, ei litteras à Philippo tradit: quibus perlectis Pontifex, nihil monito Aquaviva, Congregationem Generalem edicendam esse pronunciat, idque illi per Tolertum extemplo significari jubet.

Aquaviva, ut apud se semper erat, respondet animo sedato; &, *Filii obedientia*, inquit, sumus; mos geretur summo Pontifici: hoc mihi unum dolet, quod è nostris nonnulli vias à Societatis instituto & moribus tam alienas consecuntur, ut quo tendunt perveniant. In eandem subinde sententiam est cum Pontifice locutus, simulque difficultatem & incommoda convocandæ Congregationis exposuit, non modo propter ingentes impensas itinerum; sed etiam quia, dum habentur privati singulis in provinciis conventus, qui generali Congregationi præire debent; dum ipsarum provinciarum lecti præfides Romam cum binis Patribus delectis contendunt, intermittere negotia inchoata necesse est, harere domesticam administrationem veluti suspensam; geri pleraque per vicarios Provincialium & Rectorum, qui eorum implere partes, idonea auctoritate, vel usu rerum ac notitia destituti, nequeunt. Demum leniter questus est, quod se incerto id consilii captum foret; qui, si quid peccaret in administranda Societate, videbatur monendus privatim, emendaturus omnino quidquid reprehensum fuisset. Dicentem audivit Clemens perbenignè, ac subjecit, nihil spectare se, nisi quod è re Societatis esse crederet. Ubi obfirmatum in sententia Claudius animadvertit, enimvero professus est nunquam sibi prolixam in Ordinem nostrum Pontificis voluntatem

in

46.
Aquaviva necessariam esse negat.

47.
Congregationem edicti Pontifex jubet. Promulgatur in sequentem annum.

in dubium venisse; quandoquidem ita imperaret, se Congregationem sine ulla mora, edicturum. Nec distulit, missis quoquoersum litteris, Generalem conventum in IV. Nonas Novembres, proximè sequentis anni MDXCIII. promulgare.

48.
Alphonfus Sancius Madritum venit: at scripsit.
* Num. 41.

** Lib. IX. hujus V. part. n. 183.

Dum hæc Romæ geruntur, pervenit Madritum denique, morbo difficili variisque impedimentis superatis, Alphonfus Sancius; quem diximus * ineunte anno MDXCII. missum à Claudio Aquaviva, ut Regem de Societatis negotiis perdoceret. Sed Philippus alia, ut narratum est, consilia inierat. Nec nihil tamen egit Sancius, ejecto penitus è Societate Francisco Abreo, qui magna domestici tumultus pars erat **. Quamvis antea legitimè dimissus è Societate fuisset, nihilominus, patrocínio quorundam è sacro Quæstorum tribunali fretus, hærebatur domi nostræ, lites etiam & judicia intentans. Admonitus Clemens litteras ad Camillum Cajetanum, Patriarcham Alexandrinum, suum in aula Madritensi Nuncium dedit, quibus in Hispaniam per Sancium delatis, Abreus res sibi suas habere coactus est: quodque mirari licet, Societati, quam antea vexaverat, æquissimum deinde se, atque amicissimum præbuit. Sic sunt illi sæpe desertores: dum in castris nostris merent, laboris & disciplinæ impatientiâ negotium aliis faciunt & sibi; cum exauctorati fuerint, Societatem, quam ut molestam oderant, postea ut melius cognitam, justamque venerantur.

49.
De PP. Franc. Abreo, & Petro Fonseca Indico.

* Supra. n. 29.

Contumacior existit ac negotiis plus aliquanto successit P. Petrus Fonseca *, cognomento Indicus, qui anno MDXCI. cum aliqui turbatores a Societate segregarentur, in ea retentus fuerat, propter affectam ætatem, & quia spondebat meliora. Sed accidit perraro, ut ejusmodi homines meliorem penitus induant mentem. Itaque deprehensus, cum seditiosas ad Ludovicum Carvallium, epistolam clam scriberet, non modo scribendis litteris, verum etiam omni cum externis colloquio prohibitus est. Solitudinem hanc animo æquo non ferens, ut ad alium Ordinem religiosum transiret flagitavit. Indulsi Præpositus Generalis ea conditione, ut, si intra quartum mensem non cooptaretur in aliam familiam, ad Societatem rediret. Profectus Olisipponem concursavit urbem otiosè, immemor acceptæ conditionis. Inde Madritum elapsus cum anno toto mutasset latebras; tanti visum non est infelicem erronem persequi. Ergo pœnas desertoribus constitutas commeruisse declaratus est, & à Societate, ut inemendabilis, ejectus.

S. VIII.
CONGREGATIO
GENERALIS
QUINTA.

A. C. 1593.
Soc. 54.

in unum totâ Societate, ac Spiritus Sancti aspirante gratiâ, de iis rebus tractaretur, que ad stabiliendum hujus corporis statum, & promovendam ejusdem in obsequio Divino & virtute alacritatem, plurimum habitura momenti viderentur: ut ratio iniretur, quâ reduci ad quietem possent aliquot Societatis provincia, quibus id magno per se necessarium esse intelligebatur: tum in primis ut summo Pontifici Clementi VIII. id ipsum ob eandem causam, pro sua erga Societatem nostram paternâ providentia, volenti satisfaceret. Hujus porro Congregationis eventum eo majori curâ & sollicitudine universa Societas expectabat, quod prima omnium esset, quæ vivo generali Præposito haberetur, & quod novo quodam indicta fuisset more, nec ei pristina libertas facillè constatura videretur.

50.
Quid egerit P. Josephus A. Costa cû suis, ut eam arbitrio suo gubernaret.

Nam Acoſta, ceterique consiliorum ejus participes, nervos omnes contendent ut illam arbitratu suo gubernarent. Ac primò quidem, quoniam ante Generalem Congregationem privati quidam singulis in provinciis habentur cœtus, ubi præparantur ac veluti delibantur, quæ in comitiis universi Ordinis proponi decidique conveniat; id efficere conati sunt, ut ejusmodi Provincialibus cœtibus interessent non modò quidam è Societate extra ordinem, & quibus suffragii jus nullum esse leges nostræ volunt, verum etiam externi: eo consilio, inquebant, ut patrocínio & auctoritate præsidis externi, liberius quid quisque sentiret, loqueretur.

queretur. Addebant præsidere istis minoribus Congregationibus Provincialem, qui jurare in Præpositi Generalis verba soleat: ideoque minus idoneum videri ad ea æquo animo audienda, quæ contra ipsum fortasse Generalem proponerentur. Non segnius contra nitebantur germani Societatis filii, & ea duo, tanquam à Societatis moribus aliena, repudiabant. Eorum ut sententia vinceret, non leve momentum attulit P. Alphonsus Sancius, qui Regem allocutus antequam Patres Romam convenirent, Claudii Aquavivæ, cum quo per annos complures unâ fuerat, prudentiam, moderationem, & obsequendi Philippo studium, appositè commendavit. Deinde, quoniam perturbatores, cujus fidei & auctoritatis essent, docuit: ac regem denique obsecravit ut Societatem reliquam, tot viros sapientiâ, virtute, rebus gestis inclytos, contra paucorum hominum vim & audaciam tueri vellet; ac liberam ipsis decernendi quod è re communi videretur, potestatem relinqueret.

Sancium hæc dicentem Philippus perbenignè audivit, affirmavitque per se non stare quin suo jure Societas, ac liberâ decernendi quod vellet potestate, frueretur. Hoc ipsum sacri Quæstiores professi sunt. Latus eorum voluntate promissisque Sancius eò curam intendit ut invidia leniretur, quam tunc Madritum perlata Pontificis declaratio Societati conflaverat. Agebatur de sacerdotibus qui consistentes ad scelus pelliciunt. Declarabat Clemens, si sacerdos poenitentem ad facinus sollicitaret, eam tantum sollicitationem quæ in ipso sacramento fieret, ad sacros Quæstiores deferendam esse; non item illam, quæ confessionem antecederet vel sequeretur. Hoc edixerat Pontifex duas ob causas. Primum, quia durum videbatur ea deferri flagitia, quæ extra ipsum, ut loquitur, confessionis actum committerentur: deinde, ut certi figerentur limites, ac definiretur quantum pateret lex deferendi, tollerenturque tum scrupulorum causæ, tum litium. Nihilominus id, tanquam à Præposito Societatis profectum sacri Quæstiores Hispaniæ arbitrati sunt; & suæ potestatis fines contractos, imminutum jus sacri tribunalis, datam sacerdotibus peccandi licentiam, querebantur. Aquaviva per Sancium admonitus egit apud Clementem ut ea declaratio abrogaretur; & indulgit Pontifex. Addidit Aquaviva, se haudquaquam deprecari quominus, si quispiam suorum obstrictus eo sollicitationis extra confessionem crimine (quod averterent Superi) teneretur, fieret reus apud sacrum tribunal, modò Societas ipsa suo quoque jure, in puniendo reo, uti posset. Ita placati sacri Quæstiores, & pristina concordia sancita.

Per hunc modum conciliato Rege & Quæstioribus, fidenter est denegatum quod Acosta postulabat, nimirum ut admitterentur ad Congregationes Provinciales, ante Generalem Congregationem cogi solitas, homines externi, aut aliqui è nostris, qui jure ferendi suffragii carerent. Itaque cum in Toletanæ provinciæ conventu Compluti habito, id nonnulli agerent, ut Joannes Mariana, istorum partibus addictus, eligeretur mittendus Romam, rejectus est omnium, si unum aut alterum excipias, calculo. Designatos ad Romanum iter Ægidium Consalvium, & Alphonsum Sancium, rex ad se mitti Madritum petiit, unâ cum ceteris ex Hispania Romam ituris. Injecit ea res curam & metum, ne quid moræ bene constitutis rebus ac periculi afferretur. Sed cum eos Philippus, impeditus valetudine, alloqui non potuisset, significandum ipsis curavit; nihil se aliud petere, quàm ut nostri beneficiis ecclesiasticis, si qua obtinerent cum accedebant ad Societatem, statim ab exacto tirocinio se abdicarent; necnon iis patrimonii ac prædiis, quæ, quia familiarum capitibus, ac ferè majoribus natu liberis sic addicta sunt, ut alienari aut dividi nequeant, *Majoratus* in Hispania vocantur: demum ut sacris Quæstioribus, quoad sineret jus & æquitas, satisficeret. Præter ista si quid Josephus Acosta Romæ proponeret, id nequaquam suo jussu factum iri. Hujus responsi humanitate & fiduciâ erecti Patres, rogare institerunt ut, quæ regis nomine tractanda Romæ in Congregatione Generali forent, ne per eundem Acostam proponerentur. Annuit Philippus, eaque per suum oratorem propositum iri dixit.

Rebus ad hunc modum cum rege compositis, Aquaviva ut omnem in Urbe Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

51.
P. Alphonsus Sancius regem Catholicum conciliare studet.

52.
Sacri Quæstiores, ob declarationem quâdam Pontificiâ infensi, placantur.

53.
Duo perturbatorum postulata rejiciuntur.

54.
Acoſta apud
Pontificem
querelæ.

turbandi locum Acoſtæ adimeret, illum ab Romana Profeſſorum domo removit, & in ædes Societatis ad S. Petri poſitas amandavit: ubi Pœnitentarii, quos dicunt, commorantur. Simul rectori negotium dedit ut eum, perinde ac ceteros, contineret in officio, videretque ne mittendis ultro citroque litteris aliquid moleſtetur. Enimverò moleſtè rem Acoſta tulit. Queritur apud Pontificem relegatum ſe eſſe; obſervari tironis inſtar & vexari; litteras, quæ ſibi mitterentur, inſpici. Docuit Pontificem Aquaviva quid, quove conſilio, de Acoſta ſtatuiffet. Quin more atque inſtituto ceterorum tractaretur ipſi recuſandum non eſſe, qui ſacramentum in leges noſtras, ut ceteri, dixiſſet: porro unam è noſtris legibus hanc eſſe, ne quis injuſſo præſidium litteras det accipiatve; tamen eam exceptionem adhiberi, ut quæ ab rege vel regiis adminiſtris ad eum, quæ ad illos viciffim ab ipſo ſcriberentur litteræ, à nemine reſignarentur. Æqua Pontifici viſa ſunt omnia: & auctor ultro fuit, ut Acoſta nulla in re præcipuo, & à ceteris diverſo more ac jure haberetur.

55.
Toletus à Cle-
mente VIII.
creatur Cardi-
nalis.

Perfunctum ea cura Præpoſitum Generalem inceſſit altera gravior de Tolet, quem in ſacrum Cardinalium collegium brevi cooptandum non obſcura jaſtabat fama. Palam id Pontifex & aperte ſignificaverat, qui egregiam viri virtutem ac doctrinam jampridem hoc muneri præmio decreverat. Suarum eſſe partium Aquaviva duxit Clementem adire, & obteſtari etiam atque etiam, ut Societatis rationibus conſultum vellet. Egit quoque diligenter cum Tolet, ut ipſe ad eam dignitatem declinandam omne ſtudium & contentionem afferret, prout majorum exempla, Societatis inſtitutum, & voti ritè nuncupati religio, poſtulabant. Sed cum certum hoc jampridem atque deliberatum eſſet Pontifici, mos gerendus fuit; ac Tolet, voti ſui religionem, Societatis leges, Aquavivæ ſolicitudinem fruſtra opponenti, ſacra purpura eſt impoſita*.

* An 1593. 17
Septembr. Vide
Librum XV.

56.
Tria quædam
a Pontifice pe-
ſunt Joſephi
Acoſtæ fauto-
res.

Quantum ornamenti attulit Societati univerſæ Toletus Romano donatus oſtro, tantum Aquavivæ & Patribus, qui plurimi jam ex orbe toto Romam ad Ordinis comitia confluxerant, timoris addidit. Acoſta Toletum multum utebatur, multum Hiſpani quidam, rerum novarum cupidores; qui, dum aspirabat hæc aura, velis indulgendum rati, ſupplicem Clementi libellum obtulere, quo tria flagitabant. Primum, ut Acoſta intereſſet Congregationi cum ſuffragii jure, quamvis à ſua provincia non delectus. Alterum, ut evocarentur ad eandem Congregationem è provinciis aliqui præter ordinem, quos ipſi nominaveſſent: hanc enim facultatem extraordinarios ſuffragatores arceſſendi, à S. Ignatio in Conſtitutionibus conceſſam. Poſtremum, ut quiſpiam è collegio Cardinalium, designatus a Pontifice, Congregationi præſeſſet, quo ſecuritati ſuffragiorum, & tranquillitati conſuleretur: ac Toletum ſine dubio expetebant. Hæc ſi impetrarent (& impetratum iri omnino confidebant) dubium ipſis non erat, quin rerum in Congregatione potirentur. Aquaviva certior de libello & poſtulis Pontifici oblatis factus, prætentat ac præmonet Patres, qui jam ex undecim provinciis conveniant. Ubi rectè affectos ſenſit, interrogat quid de admittendo in Congregationem Acoſta ſentiant. Reſpondent non videri admittendum, ut quid quiſque cenſeat eſſere ſine metu exploratoris ac delatoris poſſit. Igitur uno ore primum illud poſtulatam rejicitur, & rationes Pontifici explicandæ colliguntur. De Cardinali Congregationis præſide adſciſcendo, judicavit Aquaviva Toletum bonâ fide ac ſimpliciter adeundum, obſecrandumque eſſe ne exemplum ederet adeo periculoſum. Si quem eligi oporteret, dubitari non poſſe quin ceteris præferendus foret; quippe Societatem, quaſi parentem eandem cum aliis naſtus, in ejus gremio educatus, ad ejus ornamentum & decus ſacrâ nuper auctus purpurâ: verum ſatis ipſum intelligere, quam id à Societatis rationibus eſſet alienum. Claudii orationem Toletus, qui ſe rogandum ultro à Patribus ut Congregationi præſeſſet, putaverat, non ſine ſtomacho dicitur audiviſſe. Ad reliquum è tribus poſtulis caput quod attinet, viſum pariter eſt nullos eſſe admitteſſos extra ordinem ad comitia Patres, præter eos qui delecti à provinciis fuerant.

57.
Toletus præſi-
dere Congrega-
tioni cupit.
Claudius acri-
ter obnititur.

His ita domi deliberatis ad Clementem Aquaviva pergit, ac de Acoſta primum memorat quid Patres congregati cenſeant, & quas ob cauſas aditum ipſi

Con-

Congregationis intercludendum putent. Tamen, inquit Pontifex, quantum est unum inter tam multa suffragium? Et Claudius: De suffragio, Beatissime Pater, minimum laboramus; sed perturbatorem abigimus, tinemus delatorem. Liquet enim Acoſtam omnes omnium nutus observaturum, & Regis oratori statim renunciaturum. Quis erit, quaſo, relictus libertati in dicenda ſententia locus? Respondit Pontifex notam ſibi virtutem Patrum & conſtantiam; neque illos tam facile unius hominis conſpectu deterrendos quominus verè libereque decernerent: rem nihilominus curæ ſibi fore. Eundem libertatis amittendæ metum opponebat Aquaviva, ſi Congregationi Cardinalis intereſſet: aut enim omnes ad ejus gratiam & mentem locuturos; aut aliquos fore iſtâ, quam narrabat Pontifex, conſtantia præditos, qui veritati plus & ſuo iudicio, quam gratia Cardinalis, tribuerent, in oſque illi reſiſterent. Hinc diſſidia ſcilicet, ac ſimultates orituræ. Ita, quod in præſidium Societatis expeti videretur, in ejus perniciem redundaturum, atque adeò in moleſtiam Veſtræ Sanctitatis, inquit, cujus aures quotidianis querelis obtundentur. Demum, quinam futuri ſunt hominum ſermones, quando ad ſedandos Societatis tumultus domeſticos, præſidem ejuſmodi putabunt arceſſitum foris?

Tertium reſtabat caput, ne alii præter delegatos à provinciis inirent Congregationem. Ea potiffimum Claudius ratione pugnabat, quòd illi à turbulentis ſuggerendi, & eorum è ſinu promendi forent. His verò quis aſſentietur? quis illos oculis æquis intuebitur? quis pacis & concordia auctores futuros exiſtimat? Tum, cur è factioſorum ſententia potiùs deligendi ſunt, quam aliorum? quòd juſ Acoſta præcipuum eſt hac in parte, quòd ceteris quoque non ſit? Jam, ſi reliquis invitis & diſſidentibus, certi homines paucorum arbitrato nominentur, quo pacto libera cenſebitur Congregatio, tot capitibus per vim intruſis? At ſuffragium non ferent; aderunt tantummodo ut doceant, ut ſuggerant quæ in rem eſſe videbuntur: hoc verò præſtare per litteras, & ſubjicere quòd libuerit poſſunt. Ad hæc reſpondit Pontifex, rem arduam videri, Deoque impenſiùs commendandam; de illa ſe deliberaturum. Ita incertum & anxium Aquavivam dimiſit.

Erat Octavius Aquaviva Cardinalis cum Præpoſito Generali non tantum conſanguinitate, quippe fratris filius; ſed etiam ſtudio Societatis conjunctiſſimus. Hunc pro neceſſitudine ac familiaritate monitum quid molirentur perturbatores orat Aquaviva ut Pontificem adeat, roget, obteſtetur, edoceat. Adit Cardinalis, & acriter pro Societate & Claudio diſſerit. Tertium caput facilè impetravit, ut nemo è provinciis extra ordinem arceſſeretur: etiam illud alterum eſt expugnatum, ut externus nemo Congregationi præſideret. Ceterum Philippo Regi concedendum aliquid eſſe Clemens dixit; quare Acoſtam omninò admittendum videri.

Ubi ſe Toletus excluſum ſenſit, profeſſus eſt ſuam hanc fuiſſe mentem, ſi Congregationi interſuiſſet, ut Generalis Præpoſiti partes adverſus quolibet impigrè tueretur. Gratiæ egit Aquaviva, & addidit, ſatis in cauſa conſcientiaque ſua præſidii ſibi eſſe: at nullo ſuo commodo vel incommodo adductum unquam iri, ut novi quidpiam ab Inſtituto Societatis alienum in eam induci pateretur. Dejeſti ſpe magna perturbatores & conterriti, Aquavivam ipſum, quem in his prioribus telis reſringendis adeo ſtrenuum fortemque cognoverant, aggredi ac dejicere conſtituunt. Igitur quæcumque in eo privatim, aut in Societatis gubernandâ ratione obſervaverant ipſimet, vel ab inſenſis exceperant, colligunt, erupturi copiis omnibus in loco. Interim confluxerunt reliqui Patres è provinciis, uno dempto P. Petro à Quercu, Dolani collegii rectore, quem ipſo in itinere febris Mediolani oppreſſerat. Ceterorum numerus erat trium & ſexaginta. Jam dictus conventui dies III. Non. Novembris appetebat. Hominum expectatio ſumma, quid illa comitia parturirent. Alii mutandas Inſtituti leges; alii novum Societatis moderatorem creandum; alii peculiarem Sociis in Hiſpania tribuendum opinabantur. Erant etiam qui affirmarent inſtinam aliquam in Societate peſtem deprehenſam, cui extraordinarium remedium pararetur.

Ut initium Congregationi auſpicatò fieret, Aquaviva cum delectis octo Patribus III. Non. Novembr. Pontificem conyènit: qui fauſtis illos ominibus ac pre-

58.

Cur Acoſtam
excludi Con-
gregationem
Patres vellent.

59.

Cur Cardina-
lem Congre-
gationem præ-
ſe nullum cu-
perent.

60.

De non admit-
tendis in Con-
gregationem
Patribus, extra
ordinem &
morem.

61.

Pontifex Aco-
ſtam intereſſe
Congregationi
jubet.

62.

Hominum ſer-
mones de Con-
gregatione.

63.
Initium Con-
gregationis.

catione bonâ profectus, cuncta ipsorum cura arbitrioque permittit: id omnino se velle admonens, ut Instituta Societatis intacta & illibata starent. Ea Pontificis oratione majorem in modum recreati confirmatique Patres, primum domi hoc ipso die confessum habuerunt. Secundum preces & orationem Latinam, scriba qui exciperet acta Congregationis, litterisque consignaret (secretarium vulgò vocant) renunciatus est Laurentius Magius; eique comites ad numeranda suffragia & decreta perscribenda, Fabius de Fabiis ac Robertus Bellarminus adjuncti; quorum ille domui Professorum, hic Romano collegio præerat. Postero die quinque sunt lecti de more ductis suffragiis, qui cum Præposito Generali & Laurentio Magio de rebus iis cognoscerent, quas vel Congregationi proponi, vel ad cognitionem Generalis Præpositi rejici, vel omnino prætermitti oporteret. Die insequenti ex toto corpore Congregationis minora duodecim sunt conflata consilia, sive deputationes, ut vocamus, quæ in uno certarum rerum genere cognoscendo & ordinando propriè ac separatim versarentur, posteaque ad commune consilium referrent. Ad eos cœtus destinati fuere, tum peritissimi quique & experientissimi in ea re, cui expendendæ præficebantur; tum è variis orti nationibus; ut quod cuique loco & genti congrueret facilius decerneretur. Duo ad extremum, majoris ad totam Congregationem momenti, omnibus universè commendata. Primum, ut nemo, ad quem foret aliquid à quopiam de alio delatum, ulla ratione delatorem neque congregatis Patribus, neque aliis indicaret, nisi delator ipse id omnino vellet: idque non solum Congregationis auctoritate, sed interposito quoque Summi Pontificis nomine, severè fuit imperatum. Ut enim illorum, quos deferri & accusari contingeret, delicta & nomina non aperirentur, nisi quibus & quantum necessitas cogeret, id satis cautum esse divino & naturali, de aliena fama non violanda, præcepto visum est. Deinde commendatum diligenter fuit ut omnia, de quibus ageretur in Congregatione, alto silentio premerentur: quod quidem ita sanctè servatum est, ut intenti etiam exteriorum in Congregationem oculi religiosas arcani tenebras nunquam pervadere potuerint.

64.
Aquaviva de
se ipso quæstio-
nem haberi ju-
bet.

Hactenus Congregationis limen quoddam & vestibulum: nunc interiora subeamus. Non latebant Aquavivam perturbatorum consilia: illis præcipuè se perisentiebat. Non expectandum putavit, dum ab iis in jus quasi vocaretur. Deinde vero cernebat frustra fore cetera, nisi capitis auctoritas assereretur. Itaque, ut erat ad omnia pericula & paratus & intrepidus, tum etiam conscientia mentis optima fretus, atque adeo Christi voce, qui oranti pollicitus opem fertur his verbis; *Noli timere, quia ego tecum sum*: primum omnium suam ipsius causam disceptari voluit, & assurgens, Quoniam, inquit, fato quoddam infelici meo contigit, ut quibusdam non placeret vel vita, vel gubernandi ratio nostra, interest mea, Patres, & vestra, ut quid in utraque reprehendatur, cognoscatis. Emendari vita potest, gubernatio corrigi, gubernator mutari: iudicium vestrum facio; æqui boni consulam quodcumque censebitis. Pauca hæc locutus pro dignitate, iudices dari sibi postulavit. Reclamatum est ab universis: clarè quidem à pluribus & rectè sentientibus; obscurè à novarum rerum cupidis, ne se silentio suo proderent; ambiguè à nonnullis, qui vel malevolorum occupati sermonibus, vel suspectantes aliquid, non rejiciebant omnino ejusmodi quæstionem & cognitionem; modum duntaxat & cautionem in ea volebant adhiberi. Cum tamen pars longè major & sanior negaret Præpositi Generalis personam ac dignitatem temere quorumlibet suspicionibus & obtestationi objiciendam, evicit Aquaviva ut cognitores nominarentur, in iisque Paulum Hoffæum appellavit, qui non leniter causam hanc disceptaturus videbatur. Id cur ita facturus putaretur, obiter indicabo. Creatus fuerat Hoffæus Assistent Germaniæ in Congregatione IV. Generali: sed cum in eo munere tractaret omnia rigidius, & propositi tenax agrè ferret suam in deliberationibus sententiam aliquando negligi, non parum molestiæ Præposito Generali facebat. Quare, cum videret Aquaviva deliberandi tempus altercando consumi, moras afferri gerendis rebus, & animos (ut fit inter dissentientes) alienari, Hoffæo sapius antea monito denunciavit, nisi aliam iniret rationem, id ipsi omnino esse faciendum, ut se Assistentis munere abdicaret: ita sibi & reliquis Assistentibus

65.
Reclamant Pa-
tres: aliter ta-
men alii.

66.
P. Paulum
Hoffæum inter
causæ suæ co-
gnitores Aqua-
viva nominat.

tibus videri. Respondit candidè Hoffæus, id ætatis esse jam se se, ut indolem facillè mutare nec posset, nec fortasse vellet, siquidem ea quæ dixisset fecissetque, ex officio facta dictaque judicabat: accipere se sponte oblatam facultatem depouendi honoris, quo se indignum; oneris, cui se imparem, ducebat: ceterum se in potestate Aquaviuæ semper futurum: ac sanè fuit, ut erat vir eximia probitatis, remque prudenter ac præclarè postea gessit in Germania, quam visitatoris nomine administravit*. Ex ea cum ad hanc quintam Congregationem venisset, videbatur locus usciscendæ injuriæ, si quam accepisset ab Aquaviva; nec deerant, qui stimulant. Negavit ullam sibi justam esse conquerendi de Præposito Generali causam, & impositum de illius administratione cognoscendi munus cum delectis Patribus tanto verius exercuit, quanto ab adulatione remotior apparebat.

* Plura de illo Vide Lib. XXV.

67.

Quenam fuerint Aquaviuæ objecta.

Auditi accusatores: expensa quæ criminabantur. Collecta de vanissimis rumoribus; inania pleraque ac pæne puerilia reperta sunt. Puduit Patres cognitioni præpositos, palamque renunciarunt indigna esse quæ Congregationi proponerentur. Imo, subjecit Claudius, digna quæ Pontifex ipse audiat. Et audivit Clemens ab eodem rogatus: ac paucis post diebus, Quod nos, inquit, audiendis istis vexares, nihil erat. Cui Aquaviva: Magnas enimverò Superis gratias ago, si leviter tantum peccaverim; sed quodcumque istud peccati est, auxilio Numinis & Vestræ Sanctitatis ope, emendatum iri spero. Tum Pontifex subridens, Egregiè ac prudenter multa decernis, inquit isti, at non item curas ut decretis tuis mos geratur. Factum bene, retulit Aquaviva, quod mea mihi lenitas vitio vertatur: malim in eam peccare partem, quæ mitior est. Hicine ego ille sum, quem nimis imperiosum dicunt? Atenim, pergit Pontifex, oratorem Hispanum visis rarius, parum in eo colendo diligens & assiduus es. Ego vero, ait Aquaviva, Ducem Suesanum, uti par est, colo & revereor; nec adire omitto, cum negotia Societatis postulant, aut urbanitatis & officii lex admonet. Ceterum limina procerum terere nec religiosos viros decet, nec nobis vacat, nisi quid aliud Sanctitas Vestra censet. Laudavit Pontifex, & nugari accusatores dixit. Quid illud autem est, addidit, quod queruntur, tibi voces aliquas de rege Catholico parum honorificas excidisse? In eo peccatum a me fuisse non arbitror, nisi forte, inquit, mea quadam dicta pejorem in partem interpretatus aliquis fuerit. Sane aliquando dicere memini, Philippum regem, dum in religiosorum Ordinum administrationem se interponit, eis obesse plurimum, quibus prodesse cupit: quod utinam nobis plus nimio compertum non esset. Rectè hoc, subdidit Clemens: at istud qui purgabis? Aiunt accipi a te munera, & sacerdotalem quandam vestem, missam ad te Neapoli. Sic est, Beatissime Pater, cum veste jam detrita uterer in quotidiano sacrificio, Carolus Mastrilius, corrogata pecunia, novam, inscio me, submitit. Risit Clemens, & Aquavivam summa benignitatis significatione dimisit: auditusque est postea cum diceret, præclaros istos accusatores, dum Præpositum Generalem facere tentant reum, sanctum ostendisse. At Patres de perturbatorum audacia & iniquitate questi graviter, illius coercendæ rationes injerunt, ac decretum solenne sunt meditati, quo demum ejusmodi rerum novarum architectos, & prævaricatores, ut appellant, perculerunt. Illi vero nequaquam hoc metu ab incepto deterriti, quoniam accusanda Præpositi Generalis vita & gubernatione, illum labefactare nequiverant; saltem ejus auctoritatem debilitare, atque infringere conati sunt. Proferunt à Philippo litteras ad Congregationem scriptas in hanc sententiam,

68.

Innocens 2. Pontifice pronunciat.

69.

Novæ perturbatorum artes.

70.

Littere Philippi Regis ad Congregationem.

Venerabilis ac devota Congregatio Societatis JESU. Ea fuit semper, estque in presentia, tum mihi, tum omnibus, de vobis existimatio, propter eximiam utilitatem, qua in Christianam rempublicam à vestra eruditione proficiscitur; ut omnium, atque adeo mea sint partes incolumitati vestra, Ordinisque totius commodis consulere, idque optare ut in eo gerantur & administrantur omnia pro Religionis tam sanctæ dignitate: præsertim id temporis, cum estis congregati, & ea inter vos agitis, que ad corporis totius sanitatem perfectionemque videbuntur expedire. Quod a vobis adeo sanctè integreque tractari velim, ut personam hominum nullo modo respiciatis, ac ne isti quidem de vobis suspicioni locum detis: quod curæ vobis fore, vestra mihi pro-

probitas ac prudentia facile persuadet. Illud pro certo habetote ad hanc, quam gero pro vobis curam impelli me unico Divini obsequii bonique publici studio, cum quo bonus Societatis JESU status conjunctus est. Ex adibus regis Sancti Laurentii. Die X. Kal. Octobris, MDXCIII.

71.
Quaedam Re-
gis nomina
postulata.

His litteris recitatis, proponenda per Ducem Sueffanum curaverunt regis Catholici nomine nonnulla, quae haud facile ab Aquaviva concessum iri sperabant; & quae si recusaret, non levem subiret invidiam. Quaedam ex iis postulabat Rex; alia consideranda Patribus & expendenda relinquebat. Petebat primo, ne Societas suis quibusdam privilegiis uteretur in Hispaniae regnis, quae materia querelarum & litium sacro Inquisitionis tribunalis praebere consueverant: nimirum facultate legendi libros prohibitos, & absolvendi ab haeresi in foro conscientiae: deinde immunitate quadam à Gregorio XIII. Societati concessa, *Ne nostri, absque expresso superioris sui consensu ac mandato, ad quodvis munus, officium, vel exercitium obeundum, auctoritate quorumvis quacumque ecclesiastica vel seculari dignitate fungentium destinari, adigi, vel cogi possint.*

Responsum est de primis quidem duobus privilegiis (nempe facultate libros prohibitos legendi, & absolvendi ab haeresi in foro conscientiae) Praepositum Generalem, in Regis gratiam, & ut sancto illi tribunalis satisficeret, jam concessisse quod petebatur; jamque Pontificium super ea re diploma in Hispaniam esse transmissum. Ad illam vero immunitatem Gregorianam, quod spectaret, eundem Praepositum Generalem nostris omnibus usum hujus privilegii interdixisse*. Nihilominus, quo res in posterum esset firmior, utque regi mos gereretur, idem fuit à Congregatione denuo sancitum: imò Socios omnes per Hispaniarum regna sparsos hortata est, ut operam omnem & obsequium, quibuscumque rebus possent, huic sancto tribunalis & ejus ministris navarent. Sed ut ambitioni locus omnis praeluderetur, vetuit constituta poenam excommunicationis latae sententiae, ne quisquam nostrorum, per se vel per alium procuraret ambiretve officium *Consultoris* aut *Qualificatoris* in eodem tribunalis.

* Exstant ejus
litterae super ea
re datae 20.
Martii 1589.

72.
De jure ad he-
reditates, quos
Majoratus in
Hispania vo-
cant, abdican-
do.

Alterum regis postulatum erat, ut qui ad Societatem aggregabantur, exacto tirocinio cederent absolute ac in perpetuum illo jure, quod haberent ad hereditates, primogenitis nobilium domorum addictas, quas *Majoratus* vocant Hispani, nulla ut iis repetenda postea hereditatis ejusmodi spes & facultas foret: hoc enim ad familiarum conservationem pacemque Rex pertinere in primis putabat. Tertio denique loco petitum est, ut novitii Societatis, antequam ederent vota, se beneficiis Ecclesiasticis abdicarent.

Haec postrema duo postulata plurimi palam & acriter abnuebant, praesertim Transmontani. Aquaviva id unice studens ut regem placatum haberet ac suum, cujus nomine factio perturbatorum abutebatur, primores Patrum separatim alloquitur, ac monet quantum Catholico regi Societas debeat, quantum obeffe illi unus & prodesse possit, qui maximam ejus partem habeat suis regnis comprehensam: rem porro non magnam peti: hereditatum illarum fructu & usu jam carere nostros in Hispania, jure ipso pariter facile carituros: illud serius ocyus erectum nobis iri: si nunc sponte remittatur, beneficii à Societate dati locum habere posse. Haec privatim Claudius: eadem publice apud Congregatos disseruit, ac persuasit. Confecta super his decreta duo: primum pertinet ad novitios, qui priusquam vota simplicia emittant, jubentur beneficia Ecclesiastica resignare: alterum spectat Hispanos *Majoratus*.

73.
De potestate
Congregationis
Provincialium
non augenda.

In his, quae rex idem consideranda proponebat, ista potissimum recensebantur: ut certum praescriberetur spatium annorum, verbi gratia, sex; quo elapso Generalis Congregatio semper haberetur: ut Provincialibus Congregationibus potestas amplior tribueretur: ut collegiorum ac domorum praesides non longiorem triennio praefecturam obtinerent: ut professiones statim ederentur tempore; & alia id genus non levis momenti. Hac vero quia rex non postulabat, sed consideranda duntaxat proponebat; neque tam ex illius sensu, quam de factiosorum consilio deprompta esse constabat; Aquaviva paulo acrius obtinendum censuit. Quare, cum de capite illo relatum esset, an Patribus ad cujusque provinciae conven-

tum

tum deligi triennio quolibet solitis, majorem quam quæ concessa fuerat hactenus, tribui potestatem oporteret: Equidem, ait, quid præterea concedi possit non video. An, ut ad professionem quos libitum erit admittant? An, ut proprias sibi condant leges? An, ut præpositos, rectores, ceterosque præfides eligant arbitrato suo? His demptis, quæ vestrum nemo danda putat, nec planè dari possunt, si B. Ignatii retinenda sunt instituta, quid tribui ultra potest? Cum omnes acclamassent planè ita esse, Aquaviva idoneum existimavit esse locum admonendi perstringendique Acoftæ. Repente hominem adortus interrogat, quid putet adjici oportere: cumque respondisset, sibi nihil videri adjiciendum: Quid igitur (subjecit Claudius) necesse fuit hoc proponi ac postulari? Sed nimirum, quinam sint ejusmodi postulorum auctores liquet, eosque graphicè suis litteris Acofta ipse depingit; quas, nisi molestum est, à vobis audiri velim. Tunc Magius, inveniunt Aquaviva, litteras recitat, in quibus Acofta turbatores dicebat esse *wilissima capita, perdita homines conscientia, nullius rei bona studiosos, &c.* Infremuit suomet ipse indicio convictus: tamen, ut erat acri & prompto ad respondendum ingenio, se idem etiamnum de illis existimare confirmavit.

Quæsitum deinde est, utrum præsidibus domorum & collegiorum Societatis potestatem tribui conveniret certo annorum numero circumscriptam, verbi gratia, trium: quæ disceptatio pufculum altercationis habuit. Qui triennii spatio illam censebant esse definiendam, sic disputabant: Sive honoris in loco, sive oneris, ejusmodi præfectura poneretur, inter Socios æquo esse dividendam: diuturnitatem imperandi majores afferre spiritus mortalibus; vixque commodè postea obedire, qui diu imperaverit: exerceri vulgo imperium atrociter, cum est justo longius: tum, redacto ad paucos dominatu, jacere ac latere multorum ad gubernandum aptam indolem, quæ occasionem & locum nata in publicam utilitatem se aperiret. Addebant, Provincialium regimen ac munus haud protrahi ultra triennium, atque adeo rectoribus & præpositis eosdem limites videri statuendos.

Opponebatur contra B. P. Ignatii auctoritas, qui eorum potestatem certi temporis limitibus non definierat; quod ille profectò non omisisset facere, si expedire judicasset. Artem gubernandi unam omnium esse difficillimam; paucos reperiri ad eam idoneos: inexpertis non bene committi clavum, à quo, si malè rem gesserint, sint removendi cum sua ignominia, nec sine aliorum damno. Fieri superiores imperii brevitate segnes ad negotia suscipienda, minus aptos ad perficienda, in ceteris officii partibus remissos: inferioribus addi audaciam, & minui reverentiam adversus illos, quos brevi redigendos in eundem secum ordinem cernant: minui quoque potestatem Præpositi Generalis, quam B. Pater maximam esse voluerit, dum admittitur illi facultas imperii prorogandi egregiis rectoribus; simulque necessitas imponitur alios, nondum fortè cognitos, eorum in locum subrogandi. Notitiam rerum, locorum, & negotiorum; auctoritatem denique, non nisi diuturno tempore comparari. Neque verò periculum arrogantia esse in diuturnitate muneris, quippe quod sit incertum; & eripi, si arroganter & atrociter geratur, possit. Denique magistratum abrogari minori cum dedecore, ubi præfinitum tempus non est; quàm, cum est idem fixum & constitutum. Non eandem esse Provincialium conditionem atque Rectorum; cum enim multo pauciores sint Provinciales, faciliùs idoneos inveniri: præterea munus illorum & administrationem universali quâdam providentiâ contineri, quæ proinde levioere cum detrimento communis boni, ab alio suppleri possit: demum, quo plus habent potestatis, eo arctiori tempore illam comprimere constringique debuisse.

Eas ob causas nullum certum tempus domorum & collegiorum præpositis esse præfinitum censuit * Congregatio: sed servandum esse Congregationis secundæ Generalis decretum octogesimum septimum, his conceptum verbis: *Ut triennium designatum est Provincialibus, ut habetur in tertio capite Partis IX. Constitutionum: non videri similiter agendum in Rectoribus, nec addendum propterea ad Constitutiones, quæ de hoc nihil decernunt.* Nihilominus Congregatio vehementer Præposito Generali commendavit, ut curaret ne ista Societatis præfecturæ nimis essent diuturnæ.

74.
De triennio præsidibus domorum & collegiorum præfinito.

75.
Nullum tempus certum præfinitum esse decernitur.

* Affione 20. Decr. 47.

76.
De Generali
Congregatione.
An crebrius &
fatis tempore
convocanda ?

Majori contentione de altero capite certatum est, quod Congregationum Generalium frequentiam & fixa intervalla spectabat. Qui crebrius cogendas arbitrabantur, exemplo ipsius Ecclesie pugnabant, quae primis praesertim seculis, frequentiora cogebat Concilia. Ordines religiosos sub ipsa primordia, quasi rudes & indigestos fetus aiebant esse, in quibus fingi & diffingi multa oporteat. Id vero nusquam fieri commodius posse, quam in crebris & generalibus Ordinum comitiis, ubi eorum incrementa & detrimenta recognoscerentur. Hoc fuisse usurpatum ab religiosis familiis sub ipsa illarum incunabula: hoc à secunda Congregatione Generali nostra iudicatum. Oriri multa, praesertim initio, negotia, quae unius hominis auctoritate & prudentia componi nequeant: idque multò nunc esse necessarium magis, cum Societas latius esset propagata, & in discrepantes moribus institutisque regiones inducta. Addebant, si sapius, putà sexto quoque anno, Generalis Conventus cogatur, non opus fore illa procuratorum, quam vocamus, Congregatione, ad quam certi homines tertio quoque anno in Urbem ex omnibus destinantur provinciis, magno sumptu, fructu propè nullo; cum neque possint illi gravia decidere negotia, nec fortasse ausint quid sentiant liberè proloqui, partim sua paucitate, partim Praepositi Generalis reverentia deterriti. Ad extremum, nequaquam id pugnare cum Ignatii mente & Constitutionibus, quae admonent quidem *non expedire ut Congregationes Generales certis temporibus aut crebro fiant*, addunt nihilominus hanc vocem, *in praesentiarum*; ac proinde liberam potestatem relinquunt, easdem, cum expedire postea videbitur, indicendi. Ea maximè sententia turbandi avidis placebat: quippe qui sperarent plures partium suarum studiosos repertum iri quandoque in crebro & numeroso Congregationum cœtu: quod si semel essent adepti, cum suprema sit Congregationum Generalium potestas in Societate, rerum se arbitros fore confidebant.

77.
Neque crebrae
neque statis
temporibus
habenda Congregationes
Generales.

Alii contrariam in sententiam frequentes abierunt. Infirmari nimirum aiebant per crebras ac definitos ejusmodi conventus Praepositi Generalis auctoritatem; perturbari provincias, ac religiosam disciplinam everti, si Provinciales ac Patres praecipui tam saepe Romam evocentur, & à commissarum sibi provinciarum domorumque administratione per longum tempus abducantur. His incommodis non laborare Procuratorum Congregationem, ad quam unus duntaxat, isque nullum saepe magistratum gerens, mitti soleat. Non egere Societatem novis decretis ac legibus condendis, sed veteribus observandis. Concilia Ecclesie Generalia nec esse nunc frequentia, neque olim fuisse convocata, nisi cum remedium aliud nullum rebus propè desperatis suppeteret. Quia vero sub interitum cujusque Generalis Praepositi, ad successorem eligendum habenda est Congregatio, quantum perturbationis, sumptuum, difficultatis orietur, cum una Congregatione vix absoluta, rursus aliam inchoari aliquando necesse erit? si nempe statim post dimissam & solutam illam, quae elapso sexennio habita fuerit, Praeposito Generali aliquid humanitè accidat? Conditorum Societatis Ignatium, ceteras inter causas cur perpetuam esse successorum suorum potestatem voluit, illisque duntaxat mortuis generales haberi iussit conventus, hanc etiam notasse*: *Ut Societas in rebus magni momenti ad Dei gloriam fere semper occupata, universalibus hisce conventibus minus laboris & distractionis patiatur*. Denique, vel necessariam fore Congregationem statò illo, quod assignabitur, tempore; vel non fore: si non erit, quid opus tot impendia fieri, tot suscipi labores, tantum temporis absumi, tot cieri motus frustra? Si erit, declarari per proximam congregationem procuratorum ea necessitas poterit; habent enim summam facultatem denunciandi per arcana suffragia quod expedire tunc censuerint, adeo ut impediiri ac prohiberi possint à nemine: cumque provincia quaelibet optimum ac fidelissimum quemque seligat, verisimile non est, eos humano aliquo metu ab officii religione discessuros. Itaque tunc per Praepositum Generalem promulgabitur habenda Congregatio: aut, si renuat ipse, si cunctetur, si res urgeat, hanc promulgabunt ipsi Assistentes, quam potestatem habent, consultis provinciis, etiam invito Societatis Praeposito. His de causis pars major Patrum censuit certa tempora convocandae Societati praescribenda non esse.

* Parte IX.
Constit. cap. 1.

At rerum novarum cupidi, quod per suffragia Congregationis obtinere non potuerant, hoc ipsum, & alia nonnulla, quæ ad infringendam Præpositi Generalis auctoritatem valere censebant, per nomen imperiumque Summi Pontificis impetrare studuerunt. Paucis diebus interpositis, adest præter omnium expectationem Cardinalis Toletus, & habere se quædam significat Congregationi declaranda Pontificis nomine. Primum erat, velle omnino ac habere Pontificem, ut quicumque provinciarum apud nos, collegiorum ac domorum gererent curam, exceptis rectoribus domorum probationis, illi exacto triennio magistratum deponerent, & in ceterorum ordinem, uno saltem anno, redigerentur. Alterum, ut Provinciales administrati muneris redderent rationem vel successori Provinciali, vel Visitatori. Tertium, ut Congregatio per arcana suffragia examinaret, an tribuenda esset Assistentibus potestas decernendi summo jure ac decidendi de aliqua re. Quartum, ut nuper editum à Pontifice decretum de casibus apud religiosos viros reservatis, observaretur etiam in Societate. Quintum, ut novi Assistentes eligerentur. Postremum, ut post annos sex Congregatio Generalis haberetur. Hæc omnia excepta sunt à Patribus quo par erat obsequio & veneratione. Petitum duntaxat fuit, quod attingebat ad delicta reservata, ut bonâ Pontificis veniâ Societas nonnullâ reservaret, quæ non erant in ipsius Pontificis decreto comprehensa: & est impetratum. Indulsi etiam Clemens biennii spatium, antequam domorum præpositi & collegiorum rectores mutarentur, ut interim idonei reperirentur ac formarentur, qui possent illis subrogari: quin etiam, ut in provinciis ad septentrionem positis pristina consuetudo servaretur, concessit. De tertio capite quandoquidem inter Patres disceptari Clemens voluerat, utrum nempe Assistentibus faciendâ potestas esset de aliqua re decidendi, & statuendi summo jure; inita sunt suffragia. Et quoniam ea res apertè ad enervandam Præpositi Generalis auctoritatem spectabat, Aquaviva neque suffragium ferre voluit, nec in utramque partem, ut consueverat, disputare; ne officere sententiarum libertati, aut in sua causa quidpiam præjudicare videretur. Patres, paucis exceptis, nihil novandum censuerunt: & arbitrati sunt è re Societatis omnino esse, ut integra decidendi potestas penes Generalem Præpositum maneret. Consensum hunc admiratus Clemens, nostrorum concordiam inter se, & in retinenda capitis auctoritate constantiam, dilaudavit.

De postremis duobus capitibus quæ nomine Pontificis à Cardinali Toletus proposita fuerant, nempe de Assistentibus mutandis, & cogenda post sexennium Societate, incessit Patribus gravissima sollicitudo, quia utrumque illud caput, quàm alienum ab instituto Societatis, tam amicum turbatoribus erat. Cur Congregationes optarent crebras, antea retulimus: cur mutatos Assistentes vellent, id erat causa. Cum intelligerent in Assistentibus plurimum esse momenti, quamcumque in partem propendeant, id maximè laborabant ut illos addictos sibi haberent. Porro P. Laurentium Magium, Italiæ Assistentem, rebus Hispanis minus favere suspicabantur; Garciam autem Alarconium, & Emmanuelem Rodericium, hunc Lusitaniam, illum Hispaniam Assistentem nimis putabant Aquavivæ deditos. His de causis mutatos illos tantopere cupiebant: alia jactabantur palam & pratexebantur: nimirum iis, qui Præposito Generali assistunt, oportere perspectum esse provinciarum statum; idque, si fieri possit, non fama & auditu tantum, sed usu ipso & experientia, ut eorum quasi oculis dispiciat Societatis moderator quod suis non potest. Ab annis tredecim, ex quo iidem Assistentes operam Præposito Generali navabant, ita res hominesque mutatos esse in provinciis, ut in illis essent prorsus hospites ac peregrini. Innuebat Aquavivæ Toletus hanc ipsi copiam facile datum iri, ut Assistentes mutaret arbitratu suo. Negavit se facturum, eo quòd illud à more Societatis & legibus abhorreret. Imò congregatis Patribus renunciavit videri sibi orandum Pontificem, ut in utroque isto capite Societatem antiquo jure frui pateretur. Id cum placuisset, Benedictum Palmium & Ægidium Consalvium designavit, qui ceterorum nomine Clementem super ea re convenirent. Illi cum Toletus, quem adierant consilii vel patrocinii petendi causa, paululum altercati, denique ne Clementem alloquerentur impediti sunt. Pontifex, cognitis quæ in Congregatione gesta fuerant, significari Patribus per eundem Cardinalem Toletum

78.

Mandata quædam Pontificis Congregationi significata.

79.

De Assistentium potestate, ac jure decidendi.

80.

Pontifex jubet Assistentes mutari, & Congregationem Generalem post sexennium haberi.

tum iussit obtemperandum illico esse. Quamobrem creati sunt novi Assistentes. Unus remansit Jacobus Tirijs, Pontifice non verante, quia locum hunc ab uno tantum obtinebat anno. Deinde statutum fuit, ut quandoquidem post annos sex cogenda esset Congregatio Generalis, decretum jam editum de certo tempore non præfiniendo generalibus comitijs, maneret suspensum.

Lætos, quasi re bene gesta, turbarum artifices Aquaviva sensit. Injiciendum illis metum & firmandam exemplo suam auctoritatem duxit. Favebat istis in Lusitania Henricus Henricius: conscripserat libros quosdam de morali theologia, cum appendice de prædestinatione. Sed postquam recogniti à designatis Patribus fuissent, addiderat furtim haud pauca, & quidem meritò carpenda; imò clarissimos quosdam Societatis theologos vellicabat. Eam ob rem vetuerat severe Aquaviva, ne primo volumini, jam in lucem edito, secundum adderet, aut quidquam scriberet præterea, donec de re tota cognosceretur diligentius. At Henricius, recentibus turbis factus audacior, contra vetitum perrexit scribere. Instante Aquaviva, & gravius præceptum interponente, ad Congregationem Generalem appellavit, imò ad regium consilium, tanquam sibi vis iniqua inferretur. Rejectus à regio consilio, & librum jam excusum vulgare vetitus, ad sacros Quæstiores confugit. Claudius indignum protervi scriptoris facinus non ferens, operam dedit ut Pontifex per suum in Hispania Legatum, Camillum Caetanum, Patriarcham Alexandrinum, librum prohiberet; ipse Henricum, nomine Congregationis Romam evocavit, ut ibi suam ageret causam, coram Patribus per Congregationem assignandis; quod si facere detrectaret, haberetur contumax, ac solitis facti jurisque pœnis coerceretur. Tergiversatus aliquantisper Henricius, cum nihil in rege, quem supplex adjerat, nec in sacris Quæstoribus, prædij esse cognovisset, Romam tandem accessit. Actum cum eo benignius est, quia rogaverant Quæstiores ut mitius haberetur, & quia pœnitentis animi non levia signa dabat. Itaque translatus ad Montis-Sancti collegium, in laxiore custodia servabatur. Ex eadilapsus, & Anconæ deprehensus, Romam reducitur. Id levibus ingenijs usuvenit, ut in eo, quod arripuerunt, vitæ genere, putent vulgò hæere causam suarum ærumnarum: sed in culpa est animus, qui se nunquam effugit. Oravit Henricius ut ad sacrum Ordinem Dominicanorum transiret. Exoravit. Mutavit vestem, non animum. Statim tadio victus, ut ad Societatem rediret flagitavit. Acceptus est: ac, serò licet, sapere doctus, in ea reliquos, ad initium usque seculi sequentis, annos Tibure pacatius exegit. Cave autem hunc Henricium cum altero ejusdem nominis & nationis confundas, qui tunc in Indijs magno Societati & Religioni fuit ornamento.

81.
P. Henricus Henricus Romam evocatur causam dicitur.

82.
Ger manitas & bonorum operum communitatio inita cum venerabili Carthusianorum Ordine.

Anno 1544. lib. IV. Part. I. num. 106.

83.
De pileo clericali fratrum rei domestice adjutorum.

Ut maiorem non exiguum Patribus attulit Henricii contumacia, sic lætitiã multo maximam peperit fraterna conjunctio, quæ Societatem inter, & sanctissimi Carthusianorum Ordinis alumnos, tunc sancita fuit publico decreto Congregationis. Cum enim, pro sua præstanti pietate, & erga nostrum Ordinem benevolentia, non solum S. Ignatii tempore *, sed etiam nunc nuper in generalibus Ordinis sui comitijs societatem fraternitatis, ut loquuntur, per bonorum operum communicationem, nobiscum inire voluissent, decrevit Generalis Congregatio nomine totius nostræ Religionis summâ omnium consensione, & erga sanctam illam Religionem veneratione, parem illi referre gratiam, & per eandem bonorum operum communicationem, fraternitatis societatem cum illa vicissim inire, cum summa testificatione amoris & officiorum nostrorum.

Inter graviore ejusmodi curas una incidit levior in speciem; ejusmodi tamen, ut eam neque decidere Præpositus Generalis, ac ne Congregationi quidem proponere, tempestivum duxerit: suspicatus, ut opinor, hunc etiam nodum ab inquietis excogitatum esse, quem explicare si vellet, multum suscipere molestia, & in magnam apud complures è nostris offensionem incurreret. Multi jamdudum querebantur, quod fratres nostri ad domesticum admissi ministerium, pileo quadrato, qui sacerdotum ordini videtur additus, uterentur in quibusdam Societatis provincijs. Fuit illis initio rotundum capitis tegmen, è lana fermè nigra, quales gestant hodieque Conservatores Urbis Romæ, Fæciales Principum, & Societatis tirones

tirones in Gallia. Ædituis nihilominus pileus clericalis permittebatur. Hic mos tenuit tandiu dum vixit S. Ignatius. Cum autem in ejus Constitutionibus ea de re nihil extaret præscriptum nominatim, prima Congregatio Generalis sanxit hoc duntaxat*, ut fratres nostri à sacerdotibus Societatis, & populo, discernentur idoneo vestitu: pileorum autem rationem & modum, reliquit Provincialium arbitrio: clericales tamen dandos censuit sacrarii curatoribus. Decretum primæ Congregationis confirmatum in secunda fuit. S. Franciscus Borgia, cum regendam accepit Societatem, interdixit universe fratribus adjutoribus usu pilei clericalis, & in ejus locum petafos, seu *galeros more patria* substitui jussit. Cum verò postea id locis aliquibus molestum accidere intellexisset, pristinum retineri morem in iis, ubi jam inoleverat, provinciis ita permittit, ut modus tamen, aliquis adhiberetur; neque simul, neque omnibus concederetur. Hinc geminus quasi ordo Coadiutorum temporalium: alter eorum, qui pilei clericalis jure gauderent; eorum alter, qui honoris istius forent expertes: quæ inæqualitas, fomes invidia, & querelarum seges erat. Hæc putatur fuisse causa Patribus Congregationis tertiæ Generalis, quæ S. Francisco Borgia demortuo celebrata est, reservandi Præposito Generali facultatem quadrati pilei nostris adjutoribus impertienti; quam prima Congregatio Generalis Provincialium arbitrio permiserat. Everardus Mercurianus, qui Borgia successit, eam inierat rationem, ut maneret quibus datus jam fuisset; ceteris deinceps ne concederetur. Aquaviva selectis Patribus in consilium adhibitis, quaesivit quid opus facto videretur. De provinciis Italiae potissimum ac Siciliae agebatur. Neque enim de quadrato pileo Hispanis fratribus auferendo moveri quidquam expediebat, istis recentibus turbis: neque de tribuendo Gallis aut Germanis quærebatur, à quibus nondum fuisse usurpatum constabat.

Non deerant qui domesticis adjutoribus faverent, eosque minimè putarent contristandos: ac præsertim Benedictus Palmius, homo vehemens, & isti causæ deditus; in qua consentientes habebat plerosque Societatis Patres jam grandævos, & operâ ministerioque fratrum indigentes. Quid quod novam hanc turbandi occasionem haud dubiè arrepturus videbatur Josephus Acoſta, qui, cum Aragoniam nuper visitaret, demereri laicos adjutores studuerat, pileo clericali omnibus passim concessio. Toletana quoque provincia reliquo vestitu magis, quàm pileo censebat illos esse ab sacerdotibus distinguendos.

Acerrimè reclamabant alii, cum dicerent gradum hunc, ut ab hominibus non religiosis talari tunica distinguebatur, sic à religiosis clericis pileo secerni oportere. Nequaquam ferendum ut homines nullis Ordinibus sacris initiati, pro sacerdotibus interdum se gererent, imo de quaestionibus ad conscientiam pietatemve pertinentibus differerent fidentius, quàm ipsorum captus ferret, non sine gravitum suo, tum eorum qui audirent, periculo, ac dedecore Societatis. Fovendam omni studio in adjutoribus rei familiaris humilitatem & simplicitatem: ad hoc porro juvare vestem ipsam, ad cujus ferè naturam & speciem animus componitur.

Ea licet verè disputari viderentur, nihilominus abstinendum in præsentia hujus negotii tractatione Claudius censuit; ac pileum etiam in Italia fratribus nostris concedendum scripsit*: simul admonens ut accuratè observarentur quæ de breviori veste illorum ac pallio decreta jam & constituta fuerant**. Tamen è congregatis Patribus quidam privatâ industriâ tentandum existimantes, quod ad publicum Societatis consilium referre Præpositus Generalis timuerat, à Summo Pontifice postularunt, ut laicis cujuscumque Ordinis religiosi clericalem hunc ornatum prohiberet; addentes fore ut Aquaviva libentissimè huic decreto Pontificio morem gereret. Misit ad Claudium Clemens, qui resciret illius mentem, Andream Sorbolongum, postea Urbinatem Antistitem. Nec distulit adire Clementem Aquaviva: & obsequium pro more, quidquid statueret Pontifex, professus; ubi rationum gravissima momenta exposuit, ac periculum quod Societati universæ iminebat, in quam ea lex procul dubio propriè comparata diceretur; acquievit Clemens, & nihil immutandum judicavit. Idem negotium subinde in Congregatione Generali sexta fuit agitatam eodem eventu; conclusum denique ac defini-

* Decretio 95.

84.

Clericalis pileus ubi, & quandonam illis concessus.

85.

Variæ Patrum super ea re sententia.

86.

Aquaviva prudenter ab hoc negotio decedendo abstinuit.

* 20. Februarii an. 1594.

** Reg. 6. Cassod. V. 61.

nitum in septima & octava, stabiliq; decreto sancitum ut iis, qui ad ministeria domestica deinceps venirent in Societatem omni penitus clericalis pilei usu interdiceretur, adempta etiam Præposito Generali facultate illos hac lege solvendi. Sic Aquaviva prudenter novi tumultus materiam perturbatoribus abstulit, eosque demum totius Congregationis voce, & gravissimo Decreto *, perculit.

* *Exstat in Actis Cong. n. LIV.*

Jam vergebat ad exitum Congregatio, in primum sequentis anni MDXCIII. mensis extracta, cum significavit Pontifex velle se, quemadmodum pleraque Sanctæ Urbis cœnobîa templaque inspexerat, ita Professorum domus templum, invisere: & adfuit pridie Idus Januarias anni MDXCIV. Cardinalibus sex comitatus, remque Divinam ibidem fecit. A sacrificio domum ingressus convocari Patres jubet, eosque ad genua provolutos bonis verbis profecutus, Societatem universam sibi curæ & cordi esse affirmavit. Deinde nonnulla ut caverent admonuit, quibus etsi provisum jam à Congregatione fuerat: nova tamen remedia quæ sita sunt, editis, antequam Patres dimitterentur, canonibus ac decretis.

87.
Quædam ante finem Congregationis peracta.

Sub Congregationis finem visum est ad Philippum regem Hispaniæ certos è Patribus esse allegandos, qui eum de rebus in Congregatione gestis certiores facerent, orarentque ut regali patrocinio Societatem tegere pergeret; neve res à Congregatione sancitas, convelli per novarum rerum cupidos aut labefactari pateretur. Actæ similiter quibusdam externis, de Societate bene præter ceteros meritis, gratiæ, nomine totius Congregationis; Magdalena præsertim Ulloæ, trium in Hispania collegiorum parenti munificentissimæ. Denique unanimi consensu decretum est, ut supplicaretur Pontifici, vellet, juberet, Ignatium & Xaverium ritè in Sanctorum fastos referri.

88.
Finis Congregationis.

His ita peractis, Claudius egregiâ oratione Patres ad concordiam, ad cassendas & exsequendas, diligenter sancteque sui muneris partes omnes, excitavit; mox inter suavissimos complexus, gratiis bonorum omnium auctori Deo persolutis, Congregationi finis impositus est XV. Kalend. Februarii anni MDXCIV. Josephus Acoſta in Hispaniam paulo post cum aliis, qui revertebantur illuc, Patribus se recepit. Aquaviva quodcumque gestum erat dissimulans prudenter, annuit ut quod obtinebat, antequam Romam veniret, præpositi domûs Vallisoletanæ munus retineret. Id Regi gratissimum accidit, cui persuasum erat Acoſtam, quidquid egisset dixissetque, viri probi & sapientis officio functum esse.

A. C. 1594
Soc. 55.

Animorum concordia, & conspirans ad commune bonum voluntas Patrum, dedit ipsis facultatem multa utiliter in eadem Generali Congregatione statuendi. Eorum nonnulla singillatim, quia pertinent ad Institutum nostri cognitionem, recensebimus, iisdem ut plurimum, quibus edita nunc habentur, verbis.

89.
Decreta præcipua & canones Congregationis V.

Quæsitum est, num in formula votorum simplicium, quæ ante professionem solennem nuncupantur, mutari quidpiam vel addi placeret; propterea quòd ea verba hujus formulæ, *Et promitto eandem Societatem me ingressurum*, dubitationem quibusdam Institutum nostri parum gnaris afferebant, an Societatis nostræ homines, ante certum, qui tribuitur post annos aliquot ab exacto tirocinio, gradum verè dicendi essent religiosi. Placuit retinere intactam, uti à B. Ignatio scripta est, formulam; tum quia exstabat aperta earumdem vocum in Constitutionibus declaratio, quæ significatur, nihil aliud illis promitti, quam fore ut is qui hæc vota facit, acceptet gradum, vel Professorum, vel Coadjutorum, prout Præposito Generali videbitur: tum quia huic difficultati satis prospectum fuerat per Apostolicas Gregorij XIII. & XIV. litteras. Declaratum est nihilominus, eam vocem, *Promitto*, habere veram rationem voti peculiaris, à tribus aliis in eadem formula contentis distincti. Quare, cum hoc decretum in Barolitano collegio fuisset promulgatum anno MDXCIV. Horatius Gentilis eam legem graviter tulit, negavitque se quartum illud votum à Patribus, ut aiebat, adjectum nuncupare posse, aut porro debere; siquidem Sanctus Ignatius discrete affirmabat, *nullas Constitutiones, Declarationesve, posse obligationem ad peccatum inducere, exceptis tribus votis essentialibus, & quarto Professorum* *. Respondebatur, obligationem gravem hujus promissionis, tribus simplicibus votis à S. Ignatio additæ, non oriri ex ulla constitutione vel declaratione, sed ex ipsa ratione voti quam includit; cum sit promissio facta

* *Part. VI. Const. cap. 5.*

90.
Quomodo sint intelligendæ voces illæ in formula votorum simplicium: *Promitto eandem Societatem me ingressurum.*

facta Deo, de re gravi & meliori: quo etiam modo vota quinque simplicia, qua Professi solemnibus votis adjiciunt, graviter obligare in confesso est; licet non fiat illorum mentio in eo, quem Gentilis laudabat, Constitutionum loco. Ceterum esse Societati congregatæ jus explicandi, si quid in Constitutionibus ambiguum occurreret. Jam tamen aliquos in eandem secum sententiam Gentilis pertraxerat, ac latius serpebat malum, nostris frustra laborantibus, quâ docendo, quâ hortando, frangere hominis perveraciam; nec aliâ fieri viâ remedium illi potuit, quàm membrum vitiosum à reliquis abscindendo.

Statutum deinde fuit, *Ut deinceps in nullo casu contrahatur biennium tirocinii, ad hoc ut quisquam ante expletum biennium, censeatur verus religiosus, & scholasticus approbatus, per emissa vota simplicia scholasticorum Societatis.* Summopere commendavit Congregatio observationem ejus Constitutionis, qua vetat *Ne quid accipiatur pro ministeriis Societatis tanquam stipendium, vel elemosyna in compensationem: ac omnino prohibuit, ne ullus superior, ac ne ipse quidem Præpositus Generalis in ea dispenset.* Censuit etiam, *Nullum certum tempus promovendi nostros ad gradus fixos in Societate definiendum esse.*

Unanimi omnium consensu statuit doctrinam Sancti Thomæ in theologia Scholastica, tanquam solidiorem, securiorem, & magis consentaneam nostris Constitutionibus, sequendam esse à professoribus nostris. In iis verò quæstionibus, quas S. Thomas ex professo non tractat, vetuit quidquam doceri, quod cum Ecclesiæ sensu receptisque traditionibus non bene conveniat, quodque aliquò modo solidæ pietatis firmitatem minuat. Sin ambigua fuerit S. Thomæ sententia, vel in iis quæstionibus quas non attingit, Catholici doctores inter se non consenserint, licere voluit nostris quam libuerit partem sequi; dummodo ita defendatur una pars, ut alterius existimationi modestè ac benevolè consulatur. In docendo, corroborandæ fidei alendæque pietatis curam haberi jussit: imò, quamvis nullum fidei pietatisque periculum subesset, prohibuit ne in quæstionibus alicujus momenti novæ introducerentur opiniones, nullis auctoribus satis idoneis nixæ: neque docerentur aut defenderentur illæ, quæ catholicos graviter offenderent. Eisdem leges sanxit, quod spectat quæstiones philosophicas; idque in primis præcepit, ut in rebus alicujus ponderis ab Aristotele nostri philosophi non recederent; nisi quando ab usitata in catholicis academiis doctrina, aut orthodoxa fide dissiderent. Si qui verò è nostris forent ad novitates pròni, aut ingenii liberioris, à docendi munere omninò removerentur.

Severè interdixit, ne nostri cum detrimento spiritualis boni & religiose disciplina in familiaritatem principum se insinuarent: ne secularibus negotiis, etiam consanguineorum & amicorum occuparentur; nisi fortè interdum judicio superiorum caritas aliud suaderet. Ne res denique politicas & publica negotia, ad gubernationem statûs, ut loquuntur, pertinentia tractarent. Declaravit præterea Congregatio nostros, qui possessione bonorum suorum nondum se abdicaverunt, si rebus suis utantur tanquam propriis, expendendo, donando, &c. sine facultate superiorum, peccare contra votum paupertatis. Decrevit, ut nullus in posterum admitteretur in Societatem, qui genus ab Hebræis aut Saracenis duceret. Præter delicta omnibus regularibus à Clemente VIII. reservata, propria quadam Societati reservavit. Sancitum pariter, ut ad Congregationem Provinciam, pro eligendo procuratore Romam mittendo, quadraginta tantum conveniant: quinquaginta vero, quando Congregatio Provincialis convocatur ad eos eligendos, qui debeant interesse conventui generali. Additum est, ut in utroque ceteri major esset Professorum numerus. Denique cum Missiones inter præcipuas Societatis nostræ functiones merito censeantur, eas Congregatio enixè commendavit Præposito Generali; qui post aliquot menses egregiam de hoc argumento in provincias omnes epistolam misit.

Impositus finis Congregationi Quinta turbis finem non attulit. Rejecti perturbatores, & gravissimo notati decreto, ad pristina se consilia retulerunt, avellendi Aquavivam Roma; & cum de summo gradu ac Societatis gubernaculis deturbandi. Sed rem aggressi sunt primùm astu & per cuniculos. Tentaverunt an, qui metu

91. Biennium tirocinii nunquam contrahendum.

92. Ministeria Societatis obeunda sine ullo stipendio.

93. DeGrina S. Thomæ amplectenda in Societate.

94. Ab Aristotele in philosophicis non facile recedendum.

95. Res politica & negotia secularia fugienda.

96. Numerus vocandorum ad Congregationem Provinciam.

S. IX.

PERTURBATORES ERIPERE GUBERNACULA SOCIETATIS CLAUDIO AQUAVIVENTUR.

A.C. 1596.
Soc. 57.

96.
Offertur ipsi
Archiepiscopa-
tus Neapolita-
nus.

97.
Cur illi, & a qui-
bus hæc digni-
tas quaesita.

98.
Aquaviva
specioso peri-
culo liberatur.

99.
Infidiae gravio-
res Præposito
Generali stru-
ctæ.

metu periculisque major esset, idem esset adversus honoris blandimenta incorruptus. Mortem obierat Annibal de Capua, Neapolitanus Archiepiscopus, ineunte Septembri anni MDXCV. Operam dedere ut ejus in locum Aquavivam sufficere Clemens Pontifex decerneret. Ad Cardinalem Toletum, jubente Aquaviva, trepidi concurrunt Patres; obtestantur ut pro sua singulari apud Pontificem gratia, & benevolentia in Societatem, negotium disturbare festinet. Toletus nihil admodum pollicente, quod ita fixum ac deliberatum esse Clementi diceret, ipsum Clementem Patres Assistentes conveniunt supplices, orantque consideret pro sua sapientia, quanto periculo Societatis ac damno eripiendus illi sit moderator suus, quem longa jam dies, & spectata gravissimis in rebus prudentia, ut parem tanto muneri effecerint. Probè notum Pontifici Societatis institutum, laudatam ab ipso non semel Ignatii, aditum honoribus intercludentis, mentem. Toletus ad sacrum Collegium jam vocato, si Aquaviva Neapolitanis infulis augeatur, facilius deinceps convulsum iri claustra illa religiosæ humilitatis, quæ ambitioni opponenda sapiens, & in futurum provida mens fundatoris consultissimi censuerit.

Audivit hæc benignè Pontifex, ac nonnulla de laudibus Claudii Aquavivæ, de gravi Neapolitanæ sedis onere, cui sustinendo illum in paucis idoneum videret; de necessaria bonorum præsulum opera, de legibus nostris & Constitutionibus, differuit. Quibus cum pauca opposuissent Patres, discessum est; Clementem rem Deo se commendaturum impensius distitante. Aucta hinc trepidatio, præsertim cum intellectum fuit, istorum artibus machinam hanc esse structam, qui Societati Aquavivam eripere moliebantur: nec tam id querebant, ut Neapolim ornatus dignitate nova iret, quam ut in Urbe ac Societate ne maneret. Placuit Oratorem Hispanum tentare, Suesanum Ducem. Injectus est illi timor ne quid inter Aquavivam, si Neapolitanam sedem capefferet, ac regios administratos dissidii oriretur: ita comparatum illum videri, ut ab eo, quod sibi faciendum pro sui muneris ratione duceret, non facile dimoveretur. Esse in eodem regno multos ipsi affinitate junctos, eosque opibus, genere, gratia præpotentes, qui causam Archiepiscopi & partes haud dubiè tuerentur. Respondit Suesanus, nihil eorum nescire se se, nihil vereri: Aquavivam regi Catholico pergratum fore.

Cum suam per alios causam non obtineret Claudius, hanc agere per se ipse aggressus est. Circumire igitur amicos Cardinales coepit, Salviatum, Medicum, Sfondratum (Cardinalis enim Aquaviva tunc aberat.) Unus inventus est Sfondratus, qui Pontificem adire, causamque suscipere auderet. Is igitur à Præposito Generali diligenter edoctus Clementi apertius indicat id agere Societatis adversarios, ut Generalem Roma depulsum, simulatione honoris, dejiciant regimine Societatis. Idque tum intelligitur, inquit, si Vestra Sanctitas denunciaret habere se in animo Aquavivam non tantum Neapolitanis infulis, sed etiam sacra donare, purpura; aut ego vehementer fallor, aut ipsorum tam incensa studia subito refrigescunt. Pontifex arridens visus est assentiri, subeuntemque Præpositum Generalem auditur aliquandiu velut invitum; ejus constantia pariter ac sapientia in rebus Neapolitanis administrandis indigere se commemorans: non defuturos qui ejus implerent locum, & clavum Societatis regerent. Cum instaret contra Claudius, oraretque ut Societatem exemplo periculoso, senectutem suam onere gravi, Socios omnes mærore liberaret: Ego vero, inquit Pontifex, non adigam invitum; neque hunc tibi aut tuis dolorem inuram. Qua voce recreatus Aquaviva, & periculo defunctus, suum amicis gaudium impertivit; eosque vicissim gratulantes ex omnibus fere Societatis provinciis, etiam remotissimis, habuit.

His elapsus insidiis Aquavivam in alias haud paulo graviores conjecerunt illius, aut potius universæ Societatis, adversarii, quas profecto sine subita rerum & inexpectata conversione nunquam effugisset. P. Ferdinandus Mendoza pars intestini hujus tumultus magna fuerat. Ætas adhuc viridis, ingenium solers, in quietâ mens, procerum benevolentia multorum; aulæ demum Hispanæ & usus frequens & amor, magnam illi facultatem alendæ factionis & augendæ subministrabant. Pugnabat è longinquo, & amicis tela suppeditabat eo graviora, quod vulnus sentiebatur, latebat manus. Sane suspicionem aliquam dudum Aquavivæ

Men-

Mendoza fecerat, sed redactis meliorem in statum post Congregationem rebus, cum indoles hominis non prava spem bonæ frugis ostenderet, satis visum, si ab aula urbibusque primariis removeretur. Ergo in Monfortense collegium, situm in angulo Gallaciæ, amandatur. Illic stirps & sedes est nobilissimæ familiæ Comitum de Lemos, cujus caput erat ea tempestate vir in paucis apud Philippum III. graciosus, Ferdinandus Ruizius de Castro. In ejus benevolentiam, & ipsius conjugis, lectissima ac potentissima scemina, clam irrepens Mendoza, sic utrumque devinxit sibi, ut Ruizius Neapolitani regni prorex à rege designatus, in Italiam solvens*, eum navigationis comitem, & conscientia suæ arbitrum, habere omnino voluerit. Abnuebat Hispanus Provincialis: sed quod negari non poterat, urgente atrociter per litteras prorege, Aquaviva concessit. Non bene religiosi hominibus cum aula convenit, nisi virtus austerior insidiosam vitæ mollioris temperet suavitatem & emendet. Mendoza delatus Neapolim brevi mores aulicorum induit. Cultus corporis delicatus; mensa nostræ frugalitati parum congruens; sermo imperiosus; grave supercilium; indocilis & aspera monitoribus pervicacia. Doluit his auditis Aquaviva majorem in modum, ac de sententia Pontificis certum è nostris hominem, qui cuncta propius inspiceret, allegavit Neapolim per speciem illic obeundi negotii. Olfecit consilium Prapostiti Generalis Mendoza: egit cum prorege ne admitteretur molestus inspector: utque Romam statim remitteretur. Ipse corrogatis aliquot regis administratorum testimoniis, & ad Pontificem perlati, innocentem se declarandum, atque adimendam Prapostito Societatis de suis rebus cognoscendi & inquirendi potestatem, curavit. Quoniam vero penes Claudium Aquavivam esse complures suas litteras intelligebat, quarum testimonio deprehendi multa poterant, quæ celata cupiebat; dedit operam ut illarum autographa sibi restituerentur, jussu Pontificis. Id ut fieret oratus enixè fuerat Clemens à conjuge Comitum de Lemos, quæ id etiam exoravit, ut ex Italia revertens in Hispaniam secum Mendozam reduceret: reclamantibus incassum locis Hispaniensibus, & ipso Aquaviva nequicquam deprecante.

Hic enimvero Mendoza liberas veluti habenas nactus, exitalia, quæ conceperat contra Societatem & Aquavivam, agitare consilia palam cœpit. Multos aggregabat ad suas partes: domorum rectoribus, aliisque veteris disciplinæ studiosis negotium facebat: aulicorum & principum patrocinia, quibus niteretur, parabat: unus in Hispaniensi Societate rerum potiri videbatur.

Admonitus Pontifex ejus ab aula removendi potestatem Aquaviva fecerat. Sed ea potestas ut revocaretur, effecit per amicos Mendoza. Nec satis: Hispaniam fere totam adversus Societatem variis in locis commovit; regem ipsum Catholicum induxit ut partes Dominicani Ordinis contra illam in controversia de Auxiliis sibi defendendas judicaret. Non eandem tamen semper extitisse regis mentem (ut id obiter admoneam) declarant ejus litteræ, Vallisoletto Romam ad Oratorem suum Ducem Sueslanum missæ*, quibus præcipit ut causam Societatis tueatur, & regio patrocinio ac nomine fulciat: *Quia, inquit, ut accepi à Viennensi Oratore meo, Lutherani vincere se causam hanc putant, si à Jesuitis amittatur; & eorum damnum suo apponunt lucro.* Sed nunc arte Mendozæ, quem tanquam præstanti virtute ac sapientia virum suspiciebat, in eam adductus mentem Philippus fuerat, ut Societatem perperam ab Aquaviva gubernari, & laceratos per invidiam ab eo Dominicanos, motamque temerè de doctrinæ quæstionem crederet. Et suberat altera fortasse, quam Cardinalis Perronius innuit, causa, quod nimirum Dominicanos suis rebus magis addictos, quàm Societatis homines existimaret.

Regem sic erga nos affectum animadvertens Mendoza, facinus audax & immane aggreditur, communicato cum perturbatoribus consilio. Aquavivam, quem neque minis neque pollicitationibus ab recta veræ gubernationis via deduci posse cernebat, avellere ab ipsa Urbe statuit, & pertrahere in Hispaniam, ubi haberet hominem in potestate. Philippum ergo per se ac suos adoritur: docet laborare multos jam annos Hispanam Societatem; recrudescere in dies magis hæc vulnera; hanc mali esse labem, quod Generalis Prapostitus statum Societatis in Hispania prorsus ignoret, quem per litteras duntaxat, odio, invidia, dissimulatione infectas

100.
P. Ferdinandus
Mendoza negotii præcipuus
administer.

* Anno 1599.

101.
Regem Catholicum
infectum
Societati, ejusque
præposito
reddidit.

* Die 23. Febr.
1603.

102.
Claudium
Aquavivam
in Hispaniam
pertrahere conatur.

fectas cognoscat: rectè constitutum in aliis Ordinibus religiosis, ut Præpositi Generales identidem ad lustrandas, quæ ipsis parent, provincias, & regna excurrant: id Clementi Pontifici adeo persuasum esse, ut Aquavivam ante paucos annos in Cisalpinam Galliam proficisci jussisset, ejusque domos & collegia per se inspiceret. Pontificem, qui sua sponte jam id fecerit, multo libentius id ipsum in gratiam Hispanæ Societatis, quæ hoc præsentissimo & facilissimo remedio magis indigeat, rogatu tanti regis effecturum. Dignum esse regia providentia negotium, quo non tantum Ordinis unius religiosi certa contineatur salus, sed etiam minime dubia spes finiendarum litium, quibus Patres Societatis inter se se, & cum aliis religiosorum familiis, misere consistantur: nihil Vicario Christi gratius, nihil reipublicæ Christianæ ac Societati utilius evenire posse.

Eadem uno consensu affirmabant Dux Lerma, cui secundum regem summæ rerum omnium per Hispaniam potestas erat; necnon regis confessarius; & è supremo consilio gravissimi quique, ac sapientissimi; demum ipse Nuncius Apostolicus; omnes Mendozae artificio deliniti, atque adeo principibus Comitissæ de Lemos; quæ priusquam ex Italia discederet, minata erat effecturam se, ut in Hispaniam proficeretur Aquaviva, per causam inspiciendæ & pacandæ Societatis; ibique, ut dignum erat, tractaretur. Ipse Mendoza, velut funesti jam voti compos, auditus erat cum diceret, nunc tandem Aquavivæ cedendum Roma esse, & gubernacula Societatis deponenda. Id si sponte sua non faceret, futuros qui etiam invitissimum cogere. His circumventus insidiis, & victus communis boni specioso nomine, Philippus scribit ad Pontificem *, ac suo in Urbe oratori dat negotium, ut in hanc rem cum Clemente transigendam naviter incumbat. Et urgendus vehementer Pontifex, ut censerebatur plerique, non erat; qui remoto jam Bellarmino, sagacem & invictam Aquavivæ constantiam ab inchoata de Auxiliis divinæ gratiæ causa cupiebat amoliri. Arcessit illum: quas acceperit litteras indicat, utque se ad professionem in Hispaniam quamprimum comparet, edicit. Prociens Cladius ad genua Pontificis orat considerare ne gravetur, quorum clandestinis molitionibus hæc struantur: de consilio ipsius atque imperio fecisse omnia quæ in Mendozam statuisse; nunc illi se veluti vincum dari, ut pœnas ejus arbitrato luat. Rogant eadem obstanturque Assistentes; idem flagitant amici Societatis. Perferuntur ad Pontificem gravissimæ provinciarum Societatis omnium litteræ. Scribunt ad eundem reges Galliæ & Poloniæ; Matthias Archidux Austriæ, Ferdinandus, Principes ac proceres permulti; periculum Aquavivæ, detrimenta Societatis, adversariorum dolos & consilia commemorant. Perstat in sententia Pontifex; donec in gravem morbum Aquaviva incidit. Vocati consultique medici renunciant iter ab eo suscipi non posse sine certo vitæ discrimine. Iter necessarium esse respondet Pontifex, & suscipiendum simul ac fuerit è morbo recreatus. Interea ipse Clemens morbo tentatus, eodem paulo post extinguitur *, & Aquaviva imperato itinere solutus est.

103.
Pontifex oratus à rege Catholico Aquavivam Roma discedere in Hispaniam jubet.

* Anno 1604. exiunte.

104.
Morbus Aquavivam, ac paulo post obitus Pontificis, Romæ retinet.

* Die 3. Mart. 1605.

§. X.
CONGREGATIO GENERALIS SEXTA.
* Supra. n. 80.

RATIONES paucorum, qui supererant è factioso grege, obitus Pontificis conturbavit. Mendoza consuetis artibus, ac præcipuè Regis patrocinio, meritas pœnas effugit: alii novos & majores intendere conatus in proximâ Generali Congregatione statuerunt. Hæc ut habenda sexto post Quintam anno decerneretur, effectum obtinuerat à Pontifice, ut Societas jure pristino & more uteretur, ac potestas declarandi num cogenda esset Congregatio, maneret penes procuratores, qui tertio quoque anno in Urbem è provinciis conveniunt. Illi Romam anno MDCVI. delati necessariam esse Congregationem Generalem pronunciarunt: quod hæcenus Procuratorum Congregatio nulla decreverat. Igitur comitia Societatis edicuntur in diem postremum Septembris anni MDCVII. Dum controversia de Auxiliis agitur, dum Pontifex Paulus V. Clementi VIII. subrogatus, diuturnam componit litem, effectum est ut nonnisi decimo Kalendas Martias anni MDCVIII. Congregatio haberetur.

Convenere ad dictam diem, quos ad solennem totius Ordinis conventum vocari moris est. Unus absuit P. Franciscus Benavides, qui P. Joanni Garciz, pro-

provincia Toletanæ præposito suffectus, obierat Senis in itinere. Ceteri confederunt numero quatuor & sexaginta. Inter privatos octo cœtus, qui certa quadam capita excuterent (deputationes appellamus) ultimus est institutus de *Excutione*, qui nimirum in eo versaretur, ut provideret quemadmodum ea quæ staturerentur, in mores & usum induci possent. Quo enim canones ac decreta, si nihil sit?

His ita constitutis, Claudius Aquaviva consensu Patrum, quos erga publicam rem bene animatos senserat, accensus, funestam & vivacem tot annis hydram succidere penitus ac domare parat; totamque vim auctoritatis, quam illi ætas in senium vergens, ac diuturnus administrandæ per annos jam septem & viginti Societatis usus, & benevolentia summi Pontificis Pauli V. dabant, in perturbatores expromere. Fufus de more precibus, nonnulla de suo in Societatem studio, de gravissimis periculis & laboribus in ea gubernanda exhaustis, de singulari Numinis in eam favore prolocutus, & singulos ad suffragia liberè ferenda cohortatus, sensim ad perturbationum causas, auctores, vitia, modosque delabatur. Tum intendens vocem, & vultum illum induens, quem nativæ gravitas, & dignitas ad imperandum terrendumque, cum erat opus (nam aliàs gravitatem humanitate summa & comitate condiebat) eximie finxerant, ejusmodi hominum protervitatem, & artes malas, qui Societatem perditum ibant, oratione luculenta deploravit: addidit imperio non leves minas; ad extremum sententias Patrum rogavit.

Hic enimvero patuit quid possit armata æquitate imperantis majestas, quid obedientia, quam germanis Ignatii filiis Societas inserit, & adversus moderatores reverentia. Omnes, etiam illi pauci, qui fortasse non nimis à perturbatoribus abhorrebant, una voce conclamant puniendos pacis & concordie hostes, atque exterminandos esse. Plerique censuerunt imponendum Provincialibus præceptum, ut in istos inquirerent, compertisque ad Præpositum Generalem deferrent. Itaque instauratum adversus illos decretum Congregationis Quintæ*, additumque ut eodem decreto nostri omnes tenerentur, qui quorumcumque hominum, etiam extra Societatem, opera uterentur ad tranquillitatem ejus perturbandam. Hac Patrum in re tanti momenti consensione, hoc decreto, turbulenterum factio concidit. Parta pace, quadam ad Societatis disciplinam spectantia concordibus animis definita sunt. Præcipua recensebimus.

Postulaverat Congregatio Procuratorum proximè habita, ut quintus Assistens Gallie provinciis tribueretur. Præpositus Generalis rem ita deliberandam proposuit, ut omnino concedendam innueret, tum ob regni Christianissimi amplitudinem, tum ob Sociorum egregios in eo labores, præsertim in erudiendis adolescentibus, quorum facile triginta millia in scholis suis numerabant. Ita faciendum Congregatio censuit. Adjecit Aquaviva regi fore id gratissimum, cujus litteras ad Congregationem scriptas recitari Gallicè primum, deinde Latinè, jussit. Erant in hanc sententiam exarata. *Admodum dilectis Patribus Societatis IESU. Romæ congregatis. Renunciatum nobis fuit vos ex omnibus Orbis partibus convenisse pro re communi vestra Societatis, cujus utilitates a communi Ecclesia bono sejungi nulla ratione posse arbitramur. Itaque vobis significandum putavimus, pro eo, quo vestrum Ordinem prosequimur, studio, nos eodem erga singulos vestrum & universos animo esse, quo hæcenus fuimus. Quidquid ab auctoritate, auxilio, patrocinioque nostro præstari vobis potest, cumulatè deferimus: vosque hortamur ad retinendam Instituti vestri integritatem & splendorem. Demum vestris sanctis sacrificiis & precibus regnum nostrum, nos ipsos, reginam, & quos dedit nobis Deus, liberos commendamus. Faciemus vicissim, ut in iis omnibus quæ ad Ordinis vestri dignitatem & commodum pertinebunt, tales nos re ipsa sentiat, quales fore modo libentissimè pollicemur. Apud Fontem Bellaqueum IV. Kal. Decemb. MDCVII.*

Quoniam nonnulli putabant fas esse nostris uti privilegio Bullæ Cruciatæ, & eligere confessarios arbitrato suo, per quos à reservatis in Societate casibus abfolverentur, non sine gravi religiose disciplinæ detrimento; prohibitum id omnino fuit, ac declaratum à Congregatione, nihil prodesse Bullæ Cruciatæ facultatem adversus privilegia Societatis, per sedem Apostolicam sapius concessa

A.C. 1608.
Soc. 69.

105.

Claudius Aquaviva in perturbatores invenitur.

106.

Gravissimo, & exitiali vulnere feriuntur.

* Supra. n. 86.

S. IX.

DECRETA
PRÆCIPUA
CONGREGATIONIS VI.

107.

Gallie Assistens aliis quatuor additur.

108.

Litteræ Christianissimi regis ad Congregatos Patres.

109.

Ufus Cruciatæ rursus nostris interdictus.

110.
De hora familiaris collo-
cutioni post prā-
dium & cenam
assignata.

& confirmata: & ne quis opinionem eorum qui contra sentirent, sequeretur in Societate vel doceret, vetuit. Cum id maximè curandum esse regula nostra mon-
neant, ut concessum familiari colloctioni a prandio & cena tempus religiosè
transigatur, placebat nonnullis, ut horæ istius, laxandis animis attributæ, dimidia
pars posterior impenderetur partim recensendis sanctorum exemplis, aliisque
rebus id genus, quæ magnam contentionem non desiderant; partim in rosario
recitando, vel pia meditatione, quam quisque obiret in templo vel cubiculo.
Censuit Congregatio nihil immutandum; sed occurrendum diligenter iis incom-
modis, quibus opportunum tempus illud esse deprehenditur; cum refe&ta cibo,
quamvis modico & necessario, corpora mentem pręgravant; & lingua, veluti
carceribus emissa, minus habenas audit.

111.
De jejuniis Ad-
ventus Domi-
nici.

Movet pariter aliquam difficultatem quod aliqui retulere, offendi populum
certis in provinciis, & civitatibus, cum nostros cerneret per sacrum tempus Do-
minici Adventus non jejunare, aut saltem à carnibus non abstinere. Quæsitum est, num
ad offensionem hanc vitandam, concedenda esset provinciis id petentibus jejunandi
facultas, vel abstinendi à carnibus. Visum est Patribus nequaquam expedire,
ut ejusmodi lex jejunii, vel abstinentiæ a carnibus, toti communiter Societati
poneretur: sed cum penes rectores sit reliquis anni mensibus facere prudenter po-
testatem jejunandi, posse ab iis eandem, & quidem facilius, concedi sacro Do-
minici Adventus tempore: præsertim cum singulare nihil, & à communi usu alie-
num, facere censeatur qui, ceteris non jejunantibus, jejunet. Quod si timeatur
offensio publica civitatis alicujus, aut provinciæ, monendum esse Præpositum
Generalem, qui pro sua prudentia, perspectis omnibus, provideat ut neque sit
offensio locus, nec imposita nostris aliqua lex abhorrens à consuetudine, vi-
deatur.

112.
De iis quæ ad
Instituti sub-
stantiam perti-
nent, in Con-
gregatione
proponendis.

Ad conservandam Instituti nostri primam illam, quæ fuisse monstrata divi-
nitus S. Ignatio jure creditur, formam, sancitum olim fuerat, ut nihil tractare-
tur in Congregationibus, etiam Generalibus, quod ad Instituti, ut vocant, sub-
stantiam pertineret: de iis vero quæ spectant ad Constitutiones immutandas, aut
quæ gravioris momenti sunt, nihil decerneretur, nisi quod suffragiorum pars
major dimidiâ censuisset. Accidebat nihilominus, ut Congregationes Provincia-
les, imò quilibet è Sociis, de rebus ejusmodi Congregationem Generalem inter-
pellaret: quod ad novitatem præceps, & periculi plenum. Itaque ad opprimen-
dam omnem turbam materiam judicatum est expedire, ut ne liceat quidem de
iis in Congregatione tractare, nisi pars major dimidiâ tractandum esse judicaverit:
decretum vero nullum de iisdem rebus condatur, nisi duæ partes tertia suffragio-
rum consentiant. Quod si quidpiam à Congregatione Provinciali proponendum in
generalibus comitiis judicabitur, id ne fiat nisi communi omnium consensu, aut
saltem duarum è tribus partium; neque tunc proponatur Constitutio tanquam
immutanda vel tollenda, sed incommoda duntaxat explicentur, è Decreti vel
Constitutionis observatione oritura, quibus idoneum remedium a Congregatione
Generali petatur.

113.
Professio solen-
nis trium, aut
quatuor voto-
rum concessa
titulo huma-
norum litte-
rarum, &
Missionum.

Ad excitandam nostrorum in litteris humanioribus diligenter & accuratè per-
cipiendis alacritatem, censuit Congregatio, ut qui essent in iisdem insigniores,
quique plures annos in iis docendis cum laude sedulo collocavissent, quamvis
forent in theologicis paulò tardiores, modo ceteris non carerent, quæ in Con-
stitutionibus requiruntur, possent ad solennem votorum quatuor professionem
promoveri; aut certè trium, si theologia levius tincti viderentur. Eodem be-
neficio frui voluit eos, qui evangelicis in India laboribus addicti, barbarorum
linguas ad propagandam Fidem necessarias perdiscere studuerint. Utrisque ta-
men parcius, neque omnibus promiscuè hoc indulgendum decrevit, ut a communi
lege non facile recedatur.

114.
Secretionem ju-
niorum à cete-
ris approbat
Congregatio.

Experientia quotidiana comprobatum est, impressa tironum animis prima
religiosa perfectæque virtutis ac vitæ lineamenta facillime deteri & obsolescere,
si liberiori velut auræ exponantur. Eam ob rem juniores, e tirocinio recens
eductos, separato in collegiis contubernio atinebant pleræque provinciæ, idque
ad

ad fovendam illorum teneram pietatem plurimum interesse sentiebant. Postulatum igitur fuit, ut Congregationis auctoritate juniorum hæc ab aliis secretio approbaretur; eaque, sicubi nondum esset instituta, in mores induceretur. Omnium votis non approbata modo fuit, sed etiam Provincialibus magnopere commendata.

Definivit etiam Congregatio non licere nostris, eo nomine quod Principum ac dynastarum confessiones excipiant, aut cum iis sæpius versentur, ab iisdem quidquam accipere, quo utantur tanquam suo; sed, si quid ab illis oblatum habeant, id in communem usum conferendum esse. Constitutum quoque fuit, ut ante votorum instaurationem, ea renovaturi vacarent per triduum ab aliis occupationibus, etiam litterariis, præterquam à scholarum solitis exercitationibus, iis in locis ubi professores nostri docent. Statutum itidem, ut omnes quotannis obeant spiritualia S. Ignatii exercitia per octo vel decem dies continuos: & superiores commodum singulis ad ea cum fructu peragenda tempus, superatis quæcumque occurrent, difficultatibus, attribuant.

Nihil frequentius & gravius perturbatores questi crant, quam se immerito apud Præpositum Generalem accusari. Ut iste fons querelarum obstrueretur, ac simul explicaretur sententia regularum nonæ & decimæ Summarii Constitutionum, quibus jubentur nostri parati esse ad aliorum delicta, servatis cautionibus quas prudentia & caritas postulant, superioribus indicanda: lecta sunt, & à Congregatione confirmata, quæ delecti ad eam rem examinandam Patres hunc in modum attulere.

Primo quidem fas esse omnibus aperire superiori, ut patri, delictum quodlibet alterius; neque necessariò expectandum esse, dum id superior aut præcipiat aut sciscitetur: & hanc esse regulam sententiam. Nostros vero, cum interrogantur in ipso aditu tirocinii, an contenti sint futuri, ut omnes defectus, & alia quæcumque in iis fuerint notata, superiori aperiantur per quemlibet, à quo fuerint extra sacram confessionem cognita, seque id æqui boni consulturos esse respondent; tunc jure illo cedere, quod ad tuendam in hac parte famam obtinent; ac deferendi facultatem ultro aliis concedere. Hanc tamen facultatem nequaquam iis dari, qui quid ab alio, consilium vel opem petente, resciverint. Quod si qua dubitatio incidat, an ea quoque res isto modo cognita, declaranda sit, videndum esse diligenter quid theologi doctoresque præcipiant, ne quis præscriptos à prudentia & æquitate limites transiliat.

Secundò. Hæc verba regula, *Debita cum caritate, sic esse accipienda*, ut qui arcanam alterius culpam aperit, non ducatur ulla cupiditate prava, neque alium ignominia notari velit, aut plecti, aut affici molestia; sed amore incitetur, nempe ad propulsandum ejus periculum; ut noxa emendetur, ut afferatur alicui malo medicina. Quare, in detegendo errato, videndum ut non veritatis solum & sinceritatis ratio diligens habeatur, sed etiam ut ipsa narratio caritatem & amorem spiret. Aliter amici factum narratur, aliter inimici. Erit autem ferme sermo benevolus & sincerus; si mens recta, moderata, & pia sit.

Tertiò. In delictis, quæ ad publicam rei aut aliorum perniciem grassantur, non solum posse quemlibet, verum etiam debere delinquentes aperire superiori tanquam patri; imo tanquam judici, quando prudenter judicabitur non posse aliter bono communi, vel tertiæ personæ, consuli. Atque hæc quidem ad inferiores maxime pertinent: jam, quænam sint ipsorum superiorum in hoc negotio partes quæsitum est; ac definitum.

Primo; cavendum diligentissime superiori, ne quod faciat indicium vel ejus qui culpam alienam detegit, nisi delator annuat, aut res ipsa cogat; vel ejus, cujus noxa detegitur, nisi videretur necessarium idcirco, ut reus emendetur, aut bono communi serviat: tumque dabit operam, ne pluribus indicium hoc faciat, quàm quibus omnino necesse est; & arcani silentiique præceptum omnibus imponet. Deinde, poterit illum ipsum, cujus delatum nomen & culpa fuerit, si videbitur, monere privatim; adhibitis interdum, ut ex evangelio theologi docent, testibus duobus, eadem silentii lege obstrictis: poterit illum loco vel officio movere, occasiones antevertere, cetera denique præstare, quæ ad profectum ejusdem &

115.
Principum
Confessarii.
Triduum ante
votorum
renovationem.

116.
Exercitia Spi-
ritualia singu-
lis annis obe-
unda.

117.
Aliorum arca-
na delicta quo-
modo superior-
ibus aperienda
in Societate.

118.
Cautiones a
superioribus
adhibende cum
audiunt ad se
delata inferiorum
errata.

remedium expedire iudicabit; ubique autem & arcani fidem, & delati famam, omni ope sartam tectamque servare contendet.

119.
Regula Societatis & consuetudo confirmatur auctoritate luculenta.

* Fariner. c. 7.

* Tom. IV. de Rel. Lib. X. c. 7. §. 9. 10.
** In Vind. Soc. c. 35.

120.
De regularum ac decretorum executione.

121.
Nonnulla in Missionibus cavenda.

Denique constitutum fuit à Congregatione, ut ista novitiis ostenderentur, ac declararentur. Ne vero nova cupiam, & ab æquitate viderentur aliena, recitatum est quod Julius II. in Statutis Franciscanorum docet: *Damnandum esse dogma quod habet, religiosum criminis socium non teneri ad denunciandum illud superiori*. Tum, quod in Constitutionibus generalibus Ordinis Minorum * traditur: videlicet fuisse conditum in quodam capitulo generali decretum, in hæc verba: *Nullus frater dogmatizet, vel teneat, quod cum aliqui sunt socii in crimine, non teneatur alter alterum revelare superiori, qui potest, ac debet prodesse, & animarum periculis præcavere, Nam ex sententia Bonaventuræ, & magistrorum Ordinis, & totius capituli generalis, definitum est, quod hæc doctrina sit pestifera, & in destructionem Ordinis, & regularis disciplinæ; cum prælati scire debeant subditorum excessus, non solum ut puniant, sed ut possint præcavere*. Porro, si quis in hanc sententiam plura velit, habet Suarem *, Pallavicinum **, & alios passim doctores, qui Societatis regulam & consuetudinem tuentur.

Audita sunt in eadem sessione, quæ fuerant à Patribus, ad promovendam rerum decretarum executionem designatis, observata. Primum illud fuit, ut conficeretur index brevis eorum, quæ à superioribus exequenda forent: alterum, ut iidem cum suis consultoribus octavo, vel quintodecimo quoque die perlegerent aliquid è regulis, monitis, & similibus, qui viam rectè gubernandi commonstrant, libris: singulis vero mensibus cum iisdem consultoribus relegerent quæ Provincialis aut Visitator, observanda vel emendanda commendasset. Hæc vero & pauca debebant esse, & ejusmodi quæ in usum & mores induci possint. Itaque communicanda cum domus aut collegii præside prius erunt, & audiendæ coram difficultates, ut ratio illarum superandarum ineatur. Tertium; ut prima cujusque mensis hebdomada, domorum singularum, atque adeo provinciarum præsides, instituerent consultationem de executione: in qua nimirum expenderetur, an vigeret observatio regularum; quid, à quo, quam ob causam peccaretur domi: quid remedii, per quos, quando, & ubi adhibendum.

Præterea expensæ fuerunt causæ quæ executionem impedire solent. Prima est timiditas animi pusilli, umbram, rumores, omnia etiam tuta metuentis: quo vitio qui laborant, nec rebus, nec hominibus regendis admoventi debent. Secunda: majorum & remotiorum præsidum facilitas in admittendis contra proximos singulorum locorum præsides delationibus & suspicionibus, cum prudentiæ lex & æquitatis moneat, nec cito cuilibet credendum; nec inauditum quemquam esse damnandum. Tertia, eorundem remotiorum præsidum imbecillitas in tuenda rectorum auctoritate, præsertim ubi res est cum inferioribus asperioris ingenii, clarioris famæ, provectioris ætatis, aut virtutis debilioris; qui jugum obedientiæ detrectare, nisi suaviter, imo fortiter adigantur, solent. Quarta: multorum superiorum indoles remissior, qui facessere negotium subditis, etiam delinquentibus, metuunt: qui pulchra omnia & candida putant esse, si nemo de ipsis conqueratur: parumque videntur esse solliciti, num Deo placeant; modo placeant hominibus. Ita verò pax & omnium amicitia colatur, ut ne bellum religiosæ disciplinæ inferatur. Justum, sapiensque bellum insidiosæ ac damnosæ paci præferendum. Subiecta sunt varia his curandis remedia, quæ in editis Congregationis hujus decretis fuscè perscribuntur.

Addita fuere quædam in Missionibus cavenda; ut parcant nostri seminarum domos adire ad illas invisendas, nec easdem domum ad se venire patiantur, cujuscumque rei causa; sed in templo ipsas audiant. Ne invitent externos ad suam mensam, aut ab iis invitari se, quantum in ipsis erit, sinant. Ne pecuniam accipiant ab externis; ac, si quando videbitur accipienda, ejus rationem reddant suis præsidibus. Si quid elemosynæ loco dabitur, observentur accuratè quæ de illius & admittendæ & expendendæ modo legibus nostris præscribuntur.

Congregationi finis impositus est IV. Nonas Aprilis anni MDCVIII. & gratiis Numini persolutis, oratus impensè fuit Præpositus Generalis, ut nomine eto-

tius

tius Societatis ageret quamprimum cum Summo Pontifice de referendis in Sanctorum indicem B. P. N. Ignatio, & B. Francisco Xaverio. Quod ille se facturum opportuno tempore, est pollicitus.

Dum istos fluctus, qui Societatis navim in maximum adduxerunt periculum, Aquaviva componebat, leviores quasdam procellas sedavit, quas privatorum levitas, aut ambitio concitaverat. Eas, ne gravioribus negotiis molestè interponerentur, in hunc ultimum locum simul conjecimus. P. Joannes Baptista Paciecus diu in Murciano provinciæ Toletanæ collegio commoratus, navaverat operam minime pœnitendam erudiendis Maurorum reliquiis, quos Mauricos seu Moriscos vulgo vocant, ortos nimirum ex illis Mauris, qui Christiana inter Hispanos susceperant sacra: nam ceteros qui Mahometanam retinerent superstitionem, Ferdinandus* vertere solum coegerat. Venit igitur in mentem Pacieco instituire novum Ordinem religiosum, qui totus in Moriscis excolendis versaretur. Plerique enim illorum Christianam religionem ore tenus p̄fitebantur, & interdum a Christianis illis personatis immania oriebantur flagitia; quibus demum adductus est Philippus III. ut gentem ambiguum tota Hispania exigeret*. Nemini consilium suum Paciecus aperuit, oblitus Apostolicæ sententiæ, *Nolite * omni Spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt*: crebris duntaxat litteris vexabat Præpositum Generalem, affirmans esse sibi gravioris momenti negotium, quod cum illo coram communicatum vellet. Tandem potestas veniendi Romam facta. Ut venit, negavit sibi fas esse conscium quemquam adhibere, nisi interposito sacre confessionis arcano. Respondente Aquaviva, neque moris esset, neque consilii, ut negotia, quæ multorum sapè deliberationem & consultationem postulerent, hac ratione cognoscerentur: Paciecus conveniendum sibi esse Pontificem dixit; habere se magnum quidpiam, ad Mauricorum pertinens institutionem, quod ejus auctoritate decerni oporteret. Præpositus Generalis, quid his verbis vellet ignarus, neque causam ullam, cur de hominis prudentia & pietate fecus existimaret, videns, imo Dei gloriam, & miseræ salutem gentis agi putans, mittit illum Ferrariam, ubi Pontifex tunc morabatur. Admissus ad Clementem, novæ Religionis instituendæ consilium exponit, quæ in Mauricis adjuvandis unice occuparetur; quæ corporis afflictationem, & severiorem vitæ modum amplexa, *Jesuitarum exalceatorum* vocaretur. Pontifex rei examinandæ curam Cardinalibus Guevaræ & Baronio mandat, arcani fide commendat. Suspiciatus aliquid mali Aquaviva, scribit ad Cardinales, & eorum opera Pontificem edocet. Vidit Clemens quid fraudis ac vitii lateret sub illa vitæ austerioris speciosa pelle. Neque vero ignorabat quod genus hoc esset hominum, reformare Ordines bene constitutos formatosque molientium. Itaque Paciecum arbitrio Præpositi Generalis permisit. Aquaviva, jussit afferri sibi quicquid Paciecus de Ordine illo commentitio scripsisset. Ex iis scriptis apparuit consilii temeritas, & levitas somniantis architecti: cui tamen ob credulam simplicitatem potius ignoscendum, quàm ob periculi gravitatem succensendum, Aquaviva judicavit. Ergo jussum damnare quæ senserat scripseratque, ac meliora spondentem, remisit ad suos Mauricos; monuitque ne sibi deinceps crederet; sed, si quid bonæ mentis injectum sibi putaret divinitus, dijudicandum referret ad suos præfides, quos Divinæ voluntatis interpretes longe certissimos habebat.

Hoc periculum aliud excepit. Angelus Pilus, natione Sardu, cum post annos complures in Societate actos, assignatum sibi Coadiutoris, ut appellamus, Spiritualis gradum sapius repudiasset, tandem visus est obedientiæ præcepto adigendus, ut aliquando præstaret, quod toties Deo sponderat, nempe se in Præpositorem potestate futurum, quemcumque gradum ac locum ab iis accipere in Societate juberetur. Neque id se spondidisse inficiabatur, sed contendebat pro se facere Constitutiones; ac, si mos illis gereretur, deberi sibi votorum quatuor solennem professionem, qua se non indignum à viris sapientibus & probis judicari aiebat. Hoc vero ut ostenderet, corrogaverat testimonia Patrum gravissimorum, qui amicitia & officii causa, ut fit, varias in eum congefserant laudes,

S. XII.
TURBÆ QUÆ-
DAM LEVIORÈS
COMPOSITÆ.

Anno 1500.

Anno 1610.

* 1. Ioan. c.4.

122.

P. Joan. Bapt.
Paciecus novæ
Jesuitarum
Exalceatorum
Religionem
commisit
1598.

123.

P. Angelus Pi-
lus assignatum
sibi in Socie-
tate gradum
recusat. Quid
eo fit factum.

laudes, quas homo minimè malus, non ut amicorum urbana munera, sed ut sua ornamenta, venditabat.

His fretus, detrectat imperium; & se Nolam, quo mittebatur, simulans proficisci, Ferrariam desceat, ubi tunc Pontifex degebat. Ad hunc, ope Sueffani Ducis, & Cardinalis Guevaræ, nactus aditum, multa de Societate conqueritur; multa de Præposito Generali: quàm iniquè secum agatur, dolentius exponit. Jamque Pontificem sermo stetebat compositus ad commiserationem, cum adfuit opportunè Robertus Bellarminus, per litteras edoctus à Claudio. Revocavit in memoriam Pontifici distinctionem certorum in Societate graduum: quanta æquitas adhibeatur ac diligentia in suo singulis assignando, quas inesse dotes voluerint summi Pontifices in iis, qui ad Professorum gradum promoverentur: quibus destitutum esse Pilum, non ex emendicatis amicorum epistolis, sed è certis & arcanis hominum prudentissimorum testificationibus abunde constaret. Penes ipsum Generalem Præpositum non esse, ut promiscuè quos velit in eum provehat gradum, arbitrato suo: sed ad eam rem Patrum sapientissimorum judicia, & juratam fidem requiri. Rogavit etiam Clementem ut secum reputaret, quantæ Societati pernicies pararetur, si liceret unicuique attributum in ea locum ordinemque recusare. Nec iis assensus Clemens non est, ac liberam potestatem Aquavivæ fecit de Pilo statuendi: cui tamen cavet fraudi ne esset, quòd Ferrariam, ad se, accessisset. Pilus leniter increpirus à Præposito Generali, vota Coadjutorum ritè concepit, ac remissus in Siciliam, ubi prius versabatur, in gradu assignato ad extremum, & in Societatis fide, mansit.

124.
Aliqui è nostris
externorum ne-
gotiis male im-
plicati. Nonni-
hil perturba-
tionis inde na-
tum.


Nonnihil molestiæ exhibuit Præposito Generali quorundam è nostris imprudentia, dum se alienis implicant negotiis, quæ non modo laborem nostrum abducunt à propriis Instituti nostri ministeriis, in quibus toti debemus esse; verum etiam nos profanis onerant curis, quæ sine gravi periculo, sine odio multorum & offensione, suscipi vix possunt. Id experti malo suo ac detrimento fuere tres è Sociis, anno MDXCIV. P. Didacus de Lugo, Societatis moderatoribus invidis hæserat Madriti, ut procerum aliquot negotia litesque componeret. Objurgatus & pœnam reformidans, quam se commertum sentiebat, sacrum Inquisitionis tribunal imploraverat: sed ab eo rejectus, in fide ac potestate Præpositi Societatis se fore promisit. P. Ludovicus de Mendoza, in Societatem à S. Ignatio adscitus, Dilingano postea collegio, tum Lauretano, & Cæsaraugustano rector impositus, redierat in Hispaniam, ubi se propinquorum litibus ac dynastarum aliorum ita dabat, ut admonens ipsum & coercere studens Aquaviva, graves ab Hispanis illis proceribus & acerbas litteras acceperit: qui etiam non dubitaverunt à Summo Pontifice flagitare, ut Mendoza fas esset, invito Aquaviva, Madriti degere. Quod Clemens prorsus abnuit, satis gnarus, quantum ab istis externorum patrocinis in religiosas domos molestiæ ac damni redundet. Proceres inensos placare studuit Claudius; &, ne quid ulterius tentarent, Mendoza mors brevi consecuta fecit, quam nullus ex istis, quos coluerat, primoribus, ulla doloris significatione, aut usitato in obeundis exequiis officio cohonestavit. Ex quo, ut aliis non semel, intellectum est, ejusmodi homines, cum operam alicujus è nostris expetunt, nequam id ejus causa facere, sed sua.

125.
P. Bartholomæus à Sicilia
in profana con-
jectus procerum
negotia, ægrè
tandem se ex-
tricat.

Istis exemplis erudiri P. Bartholomæus à Sicilia debuerat: quamquam venia dignior, quippe qui non sua sponte, sed Philippi regis imperio publici cuiusdam & molesti muneris administrationem susceperat; colligendæ scilicet ad rem catholicam in Belgio tutandam, & exigendæ à proceribus, pecuniæ. Quod ille cum strenuè faceret, impetrari à Philippo non potuit ut invidioso munere levaretur. Sed nimirum lubrica res est profanorum tractatio negotiorum, vix ut in ea possit, etiam religiosus vir ac pius, sine prolapsione consistere. Itaque P. Bartholomæus externorum sermones non effugit, nec nostrorum etiam querelas. Vehè commodius, lautius vesci, sumptus facere non valdè necessarios, arguebatur. Perfecit Aquaviva ut onus impositum, tandem Rege annuente, deponeret. Verum inter primarios cives orta est repente contentio; aliis aliò illum ad sua negotia pro-

procuranda, navum scilicet actorem, & in re gerenda exercitatum, pertrahentibus. Romam igitur vocatus, mox inde revocatus: Madrito identidem abactus, & eodem regressus; demum in villam Societatis Jesumontanam, non procul Compluto, se recepit, pertasus molestæ negotiationis, & suorum patronorum studia frigere sensim videns. Neque hic tamen aulicas artes illas, quibus assueverat, penitus exiit. Religiosarum legum negligentior; contumax, & majorum imperia detrectans, oneri jam nobis erat. Nec eo dubitavit Aquaviva levare Societatem, magis nociturum existimans exempli contagione, si maneret; quàm odio, & ultionis cupiditate, si abscederet. Aliter tamen accidit, indeque vel maximè intelligere licuit, quanto fatius sit facere aliquando periculosè, quàm turpiter & damnosè pati. Revolutus in pristinos negotiorum fluctus, quid perdidisset carendo magis intellexit, quàm fruendo; neque prædicare Societatem, & contra obtretractores tueri, neque orare ut in eam restitueretur, destitit. Hic demum ea procerum, qua pollebat, gratia bene usus ac feliciter, quod tanto petebat opere, illis deprecantibus obtinuit: cumque Romam, ut voto citius potiretur, proficisci serio cogitasset, occupatus gravi morbo, & receptus iterum in Societatem est; editisque tribus è formula solenni votis, in mutuo Patrum, qui frequentes convenerant, amplexu decessit*. Hispaniam facti hujus fama, & aulam præsertim, implevit; nec parum valuit ad Societatis commendationem, quam omnes tanti fieri à tam sagaci & exercitato in rebus humanis viro, & quidem aliqua, ut putabant, injuria laceffito, intuebantur. Integritatem etiam Aquavivæ perspiciebant, & in tuenda disciplina constantiam: quippe qui tantæ auctoritatis & gratiæ virum amittere maluisset, quàm nostrarum legum infringere vim & decus obscurare. Certe, nisi apud Bartholomæum à Sicilia plus comperta Societatis probitas, quàm repulsiæ memoria valuisset, plurimum incommodare nostris rebus unus ille poterat, pro ea, qua semper valuit apud Philippum gratia, etiam a nobis dimissus. Rex hominis industriam expertus & fidem, hunc maximi momenti negotiis præfecerat. Ubi tamen ejus consilium de repetenda Societate cognovit, illud vehementer, pro sua pietate ac prudentia, comprobavit.

Exsisterunt interdum aliis aliquot in locis turbæ domesticæ. Quis enim pacem inter homines, vel optimos, perpetuam; quis in corpore vel robustissimo valetudinem nullo tentatam morbo speret? Sed levioris ferè momenti, præ istis gravioribus, quas initio memoravimus. Ex utrisque fructus non levis; quæ Dei benignitas fuit, perceptus est. Juvant morbi, etiam graves, si curare scias. Purgant noxios humores, & sollicitudinem tuendæ valetudinis acunt.



126.

Dimissus è Societate, rursus in eam paulo ante obitum admittitur.

* Anno 1602.